

2 — 8
6 17 0.
10


VERSANTUR HIS TRIBUS

ALCHYMISTA CHRISTIANVS.

IN QVO DEVS RERVM AVTHOR omnium, & quamplurima Fidei Christianæ mysteria, per analogias Chymicas & Figuras explicantur, Christianorumque Orthodoxa, doctrina, vita & probitas non oscitanter ex chymica arte demonstrantur.

Auctore PETRO IOANNE FABRO
Doctoris Medici Philochymici
Monspeliensis.







TOLOSÆ TECTOSAGVM.
Apud PETRVM BOSC, Bibliopolam.

M. DC. XXXII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

SANCTISSIMO DOMINO
DOMINO NOSTRO
VRBANO VIII.
SANCTISSIMÆ ROMANÆ
ECCLESIÆ PONT. MAX.

PETRVS IOANNES FABER.

NON dubito SANCTISSIME PATER, quin multis mirum videatur, me qui vix ſim puluis & vmbra Chymicorum, eò audaciæ proceſſiſſe vt TIBI quem tanquam ſublimiorem humani generis apicem Deus Chriſtiano orbi ſuperimpoſuit, ingenioli mei lucubrationes offerre præſumpſerim. At deſinent illi tandem mirari ſi me

non tantùm Philoſophū agnoſcant; ſed & Medicum cui artis quam profiteor legibus naturam ſequi præuiam & illius genium æmulâ operatione effingere præſcriptum ſit. Et certè cùm hederam vbique videamus, ne humi ſerpat & ſola inter arbuſta vel ingloria jaceat, vel ad ſuas tandem radices reuoluantur, hanc à natura vim inſitam habere, vt ſe arboribus & parietibus ramorum ſequacium amplexu innectens, quod ſuis deeſt viribus alieni roboris ſtabilitate ſuppleat. Quid mirum ſi fragilitatis meæ conſcius ad ſanctitatis tuæ culmen humiliter obrepam, vt hoc opuſculum, quod ad meam attinet induſtriam, caducum & infirmum ſacratiſſimi tui nominis Patrocinio ſuſtentem & ſuffulciam. Tu verò, SANCTISSIME PATER, qui Chriſtianorum omnium ALCHIMYSTA és Chriſtianum hunc Al-

chymistam per naturam hanc visibilem adoranda Relligionis mysteria propalantem benignus excipe. Hoc à Te licet tanto terrarum interuallo dissitus me impetraturum non diffido, cùm etiam summus ille Deus cuius Tu in terris Vicariâ fungeris potestate, nostras preces ex hoc infimo mundi recessu in cœlum euehas, non patiatur irritas in terram recidere. Interea, SANCTISSIME PATER, det tibi DEVS OPT. MAX. D. Petri annos & videre & prætergredi, Ecclesiæque gubernaculum inoffenso cursu dirigere. Castrinouidarensis. Kal. Nouemb. Anno M. D.C. XXXII.



PETRVS IOANNES FABER CASTRINOVIdarensis Philosophus & Doctor Medicus Monspeliensis Philochymicus.

Rei Spagiricæ candidatis.

S. P. D.

QUÆ me compulerunt hoc opus in lucem edere, majora multis fuisse, hoc præludio nobis certissimè videbuntur, (Spagyrice artis candidati amantissimi) primas tenet decus, laus & honor Alchimiæ, quæ ex profundo sui ritè perquisito emergunt: Ex eo enim in Deum rerum omnium opificem & authorem assurgimus. Cùm sit totius Naturæ absolutissimus artifex, *Alchimia Deum quærit & ostendit ex natura.*

& mirabilium patrator omnium, occultas & abſtruſas ſui notas, in centro cuiuſcumque creatæ rei depoſuit, quæ Chymica arte poſſunt ex Naturæ legibus, hominibus non obtuſi ingenij patefieri; quin imò ſacratiſsimæ Chriſtianæ myſteria adumbrata quadam naturali figura reuelari: videntur enim ab ipſo naturæ authore in abſtruſis & penitiſsimis rerum ſubſtantijs viuis adeo coloribus depicta, vt in admirationem ſummam & ἐκπτώσιν cujuſcumque rimantis trahant animum. quod ſi Athei terrena & impura ſola mentis ſuæ lance, hæc perpendere vellent, cæterique alij Heretici & Schiſmatici animaduerterent, nullatenus á certiſsima orthodoxæ Eccleſiæ Romanæ fide, ſtulta eorum & hypocondriaca doctrina ſepararentur; res etenim omnes dum à terrena ſpurcitie vindicantur igne Chymico, predicant Deum miſteriáque Eccleſiæ Romanæ tacita & muta quadam eloquentia cunctis denunciant; adeo vt

verè mentis inopa, brutis ipsis ne dicam lapidibus stupidior censeatur, qui Deum negat & Ecclesiam Romanam veram solam & vnicam orthodoxam non fatetur.

Secundas obtinet utilitas quàm maxima, quæ ex studio Chymico emergit, ex eius enim sagaci & prudenti non temeraria indagine, & perquisitione exurgunt quatuor, quæ maximo toti generi humano sunt emolumento, nec majori possunt esse, vtilitati notitia puta sui ipsius, sanitas tuta & jucunda conseruatio in multos annos, & diuitiarum omnium incorrupta supellex, hæc quatuor cum præcedentibus totam Alchymiam ita exornant, vt meritò prudentum animos conuocent omnes, in sui perquisitionem tanquam humanæ prudentiæ & sapientiæ culmen; Quid enim homini deest dum hac fugaci vita fruitur post Dei veri notitiam, cultum, honorem, notitiam sui ipsius, sanitatem, vitam satis

Emolumenta quæ ex Chymica arte exsurgunt.

longam, & diuitias qui hæc omnia ſumma & majora ſummis non exiſtimant & verè credunt, elleboro indigent & populi auriti familiæ ſunt & propaginis.

Ultimas poſſidet quamplurimorum alioquin doctorum & ſatis prudentum abuſus in Chymica arte vilipendenda & iniuriis calumniiſque afficienda. Vellem ego vt reſipiſcerent, nam verè non ſapiunt qui artem ignotam contemnunt: Si quid eſt inter Chymicæ artifices fraudis & vitij, hoc eſt Lollium inter triticum; & ſtipes inanis ferro amputandus, & igne, hi ſunt curculiones & cantharides artis qui grana Chymica corrodunt, deturpant & vitiant: vindicanda eſt ars, ab his putidis & male olentibus animalculis, non theatro humano explodenda: homo animalium omnium caput & princeps, non propter pediculos & impuras corpois ſordes, quas natali ſorte gerit eſt contemnendus, vt lauacro, & pectine mundus & purus conſeruandus, ſic Al-

Alchymia non eſt vilipenda propter Alchymiſtas

chymia artium omnium lumen, & vera Margarita preciosa non contemnenda est & sibilo persequenda, si quid squalidæ corticis & squamosi recrementi fumique denigrantis contineat, id luminis & vitæ indicium est, & preciosi tegmentum opus hoc breuiter & compendiosè lumen istud vitæ basin, & totius naturæ pretiosum, tenebris fugatis, & denudata cortice ostendet, vt nudam sine veste ac lotam fonte dianam videre valeant spagyricæ artis candidati, eiusque gratissimæ frontis aspectu, ardeant omnium animi, eiusque crucientur amore, & si quod eius viuis laticis potent illicò siti teneantur hydropica, quò plus erunt potæ plus sitientur aquæ. improbos & impios.

Sic artem Chymicam omni fuco denudatam patefaciam, vt eius amor & virtus omnium animos erga se malè feriatos conciliet & monumentum hoc tholis templi beneuolentiæ & gratiæ filiorum artis appendam, vt ab eo breuiori,

quo potero tempore, ſperent panchimicnm meum, in quo vniuerſa medicina ſpagyrica arte decorata, non trunca, non confuſa, nec lacera, ſed integra & ab omnibus ænigmatum vmbris defæcata in lucem prodibit, faxit Deus vt acta ſecundet vt mereri valeam tantillum laudis & honoris erga Chymicæ artis candidatos, fruentur tandem preſenti hoc Chymico Chriſtiano, qui cælum terramque pandit, eorúmque miſteria clauſa, hoc Chymicum recludit melos; Etſi id rudi calamo fiat ſua tamen dulcedine ni fallor, & rerum varietate pelliciet omnium animos ad perpulchra topiaria eius & Paradiſos inuiſendos, quorum florenti & verè germinanti viriditate, tanquam gratiſsima vmbra labores quoſcumque humanæ vitæ demulcere quis poterit, beatumque tranſigere æuum. Si quid majus poſſem in Alchymiæ candidatos, libenter in lucem darem, nihil enim latitat in penetralibus cordis mei

quin typicis tesserulis fideliter explicaturus sim. Expectate interim alia Chymicæ artis opera quæ vobis mistica reserabunt omnia, & me in vos omnes perquam optimè feriatum in reliquum vitæ meæ conseruabunt. Valetè & plauditè.



JNDEX RERVM OMNIVM
quæ in hoc opere continentur.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

FINIS.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAr grace & priuilege du Roy du vingt-quatriesme Ianuier 1624. seelé du grand sceau en cire jaune, signé par le Conseil de FONTAINES. Il est permis à PIERRE BOSC, Marchand Libraire juré en Tolose, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer par tout son Royaume, vn liure intitulé *Alchymista Christianus* : *Auctore* PETRO IOANNE FABRO, *Doctoris Medici Philochymici Monspeliensis*, sans que autre que ledit Bosc, ou ayans droict de luy, le puissent imprimer ou faire imprimer, vendre ou distribuer, iusques au terme de dix ans, à compter du iour & datte de l'impression dudit liure finie : & ce sur peine de confiscation des exemplaires qui seront trouuez auoir esté contrefaits sur l'impression dudit BOSC, & d'amende arbitraire.

Par le Conseil.

DE FONTAINES.

Acheué d'imprimer le premier Octobre 1632.

Errata sic corrige amice Lector.

PAge 32. lin. 19. lege trinitatis pro ciuitatis. Pag. 49. lin. 2. lege permixta pro permixtu. Pag. 53. lin. 25. lege ni pro vi. Pag. 53. lin. antepenultima lege formæ pro formas. Pag. 70. lin 10. lege nodus pro nodica. Pag. 66. lin. 6. lege in iudicis pro iudicis. Pag. 89. lin. 21. lege occidendi pro occidenti. Pag. 105. lin. 27 lege infirmauit pro insinuauit. Pag. 107. lin. 6. lege frondosis pro fendosis. Pag. 110. lin. 16. lege ligabantur pro legabantur. Pag. 120. lin. vltima lege totum & vniuersum pro totam & vniuersam. Pag. 125. lin. 1. lege inutilibus pro cantilibus. Pag. 131. lin. 18. lege nollent pro vollent Pag. 138. lin. 13. lege in sui tendere centum vt fcelicitatem consequantur. Pag. 145. lin. 5. lege luminis pro animi. Pag. 149. lin. 24. lege metallium pro metallicam Pag. 150. lin. 27. lege in quo meritis Christi pro in quo Christo. Pag. 152. lin. 12. lege vitium & nequitia, & dele Dei sunt. Pag. 152. lin 16. lege certissimum pro certissimus. Pag. 153. lin. vltima lege momentaneasis pro momentanea. Pag. 171. lin. 1. lege illius pro illam. Pag. 182. lin 23. lege argentum pro argenti. Pag. 188. lin. 30. lege fructus pro fructum. Pag. 191. lin. 23. adde hæc verba, animi tui vires Sacramenta septem instituit in Ecclesia sua. Pag. eadem lin. 12 lege vas pro vna. Pag. 192. lin. 1. lege mutu pro natu. Pag. 193. lin. 19. lege vinas pro vinus. Pag. 229. lin. 4. lege agredi pro aggressus sum.



ALCHYMISTA CHRISTIANVS,

PETRI IOANNIS FABRI CASTRINOVIDARRENSIS Doctoris Medici Monspeliensis.

ALCHYMIA DEVM MONstrat & indicat naturæ opificem & Vnicum creatorem per ipsammet naturam.

CAPVT I.



X rebus omnibus, quæ visuntur in orbe terrarum, Deum aliquatenus cognoscere posse, summum est, & maximum humanæ sapientię culmen & fastigium, in quo fulget & prænitet cæteris humanus intellectus. Reliquum quod scibile

Deum cognoscere ex natura, supremum est sapientiæ humanæ culmen.

est, & cognitu possibile, nauci est, & futile, inscitiæ potius plenum, tenebris inuolutum Cimmerijs, quam aliquo lumine nitens: nullũ enim lumen reperiri potest, vbi fons & scaturigo veri luminis deficit, suosque perennes non infundit radios, si cœlestes istos igniculos seminaq; diuinitatis, quæ per totum terrarum orbem diffundũtur, auferamus, aut saltem crassa mentis caligine obtegamus, naturam omnem, cœlum terramque confundimus, & in antiquum cahos redigimus, nihilumque vetus conuocamus: Si patrem celestem Deum rerum omnium opificem & conseruatorem vbique rerum indigitatum non fateamur: Natura enim hæc vniuersa suprema & infima stare non potest, nec minimum temporis labilibus suis persistere fulcris & staluminibus quin corruat, & perenniter fluat in cahos suum, nisi causa sua, patre suo, & vnico hoc suo archæo fulciatur, eiusque potentia infinita & indesinenti statuminetur, aut summum nefas prædicandum est, conceptu solo puniendum, naturam hanc quam cernimus totam & integram, sui ipsius esse opificem, sempiternam & perennem: Id tamen erroris adeò clarum est, vt nemo nesciat, partes integrantes ipsius naturæ nec naturam ipsam stare posse, nec quidem momento temporis, quin aliquid corruptionis, & mutationis perpetuæ in se ipsis patiantur & subeant. Eô maximè argumento, sat clarum est, naturam non esse sui causam & fontem: nam si ex penetralibus suismet scaturiret perennis esset, nec perpetuis mutationibus & alterationibus augeretur: at perpetuum esse indesinens & sibi

Natura non est sui ipsius opifex.

constans omni studio sibi vẽdicaret. Quod enim est fons primus sui ipsius, se ipsum perenniter conseruát, fons verè primus originis, est etiam fons conseruationis & perennitatis, naturam videmus non esse fontem perennitatis suæ, indeq; etiam non esse fontem originis sui ipsius, fatendum erit.

Naturam etiam quam oculis contemplamur, Deum non esse ex eo colligimus, quod ea ipsa non fruatur essentia omnium perfectissima, nam si ad amussin veritatis referendum sit, ens naturæ quid erit quæso, illius centrum? purum nihil, ens non ens, cum semper tendat ad sui corruptionem & mutationem, & inde non ens, cum verum perfectum & absolutum ens, sit illud per quod sunt omnia, à quo fluunt & conseruantur, & sine quo factum est nihil, immutabile, omnia mutans, inuisibile, omnia videns, immotum, omnia mouens, omnia continens sine ambitu, vbique presens sine situ & motu, illud solum meretur entis perfectissimi & absolutissimi nomen & ἔτυμον. Natura autem & mundi huius vniuersi ambitus, cum hæc sibi arrogare non valeat, entis simplicis corruptibilis, mutabilis, terminati & vndiquaque circumscripti essentiam sibi vendicare potest, & ideo ex interna & innata sua mutabilitate & corruptela, vilissimi entis naturam habet, non perfectissimi & absolutissimi, qualem nos credimus Dei naturam esse, vt potè æternam, infinitam & omnipotentem. Non ergo ex entis naturalis essentia vt pote vilissima, argumenta diuinitatis in eo colligemus, eique dabimus, aut Deum deficientem & man-

Natura non est Deus.

Ens verum quid.

In naturali rerum statu labili, nihil sapit diuinitatem.

cum, quod nefas est cogitare, constituere dabitur, cum natura deficiens, impotens & manca sit. Si obijciatur naturam vniuersalem & generalem permanentem esse, sibi constantem in suis mutationibus, æternam & infinitam, cum temporis duratione, generationumque potentia interminata, ideoque perfectissimi entis & diuini naturam sibi arrogare: Soluunt hanc obiectionem ipsæmet partes naturales, finitæ omnes, certisque numeris inclusæ, mutabiles, & labili essentia statuminatæ, cum totum à partibus hac in re differre nequeat; subeunt enim hac in re totũ & partes eandem sortem & conditionis rationem: Si partes ante vnionem totius labiles sint, & corruptibiles, in vnione ipsa etiam ipsæmet partes nec sibi constabunt, sed fluxæ erunt, & fluctuantes in ipso mutationis & corruptionis gurgite, & pro inde totum erit profundæ corruptionis abysso immersum.

Totum sequitur naturam partium.

Cogitare etiam non possumus absque veritatis ipsius detrimento, naturam & mundum fuisse ab æterno creatum diuina potentia: creare enim supponit, non esse, & ex nihili scaturigine trahere originem, & ita creare indicat actionem diuinam externam in certa quadam motus mensura constitutam, & peractam hoc est in tempore factam.

Creare quid supponat.

Deum etiam testantur & indigitant rerum omnium mutabilium immutabilis ordo, qui ab omnibus sæculis & à condito mundo lege inuiolabili obseruatur, à cunctis mundi partibus: temporum mutationes & cœli motus, ob terræ fertilitatem: generationum & productionum ani-

Deum quid indigitet in natura.

malium vegetantium & mineralium inextricabiles processus ob mundi munditiem & pergratam formam, vel potius ob solius hominis commoditatem & vsum.

Hic ordo admirabilis & stupenda rerum series, non fatalis consequutio, potest ne adeò firmis stabiliri vinculis & nexibus absque authore huius ordinis patre, & vero & vnico fonte, ab eodem ordine diuerso & dissentaneo: Ordinem enim & rerum seriem absque ordinatore excogitare non possumus: Natura autem & rerum series confunduntur nec fere differunt si medullitùs introspiciantur. Ordinator ergo erit quid supra naturam, à quo natura seu rerum series dependet suasque obseruabit leges & normas inuiolabiles, quas prætergredi & antiquare non potest ob perpetuam & indesinentem legislatoris sui præsentiam.

Diuus Dionisius Areopagitarum integerrimus iudex scelerumque vindex æquissimus, ortu & natione Ethnicus aliquo tamen Diuino pneupmate pulsus, Deum testatus est, & confessus ex ordine inuerso, solis & lunæ Ecclypseos: Nam cum moriente Iesu Christo veri Dei vero filio ordinem naturæ rerumque seriem susque deque inuersam contemplaretur, voce magna intonuit: Aut patitur Deus, aut tota machina mundi destruitur. Ex ordine illo inuerso Deum fassus est, eumque pati quid maximum, cum tota natura, cœlum & terra, nescio quid lugubris & funesti insueti, portenderent.

Dionisius Areopagita, Deum pati cognouit ex inuerso rerũ ordine.

Nos verò rationis & intellectus compotes & capaces non Ethnici, sed Christi ipsius veri Dei

filij infinitis propemodum doctrinis, ſpeculationibus & exemplis confirmati, proh dolor & nefas! adhuc infirmi ſumus ad fidem hanc,& cæci penitus ad hanc lucem percipiendam.

Multi alij Philoſophi Deum nouerunt ex lumine naturæ.

Non ſolum Dioniſius Areopagita,ſed & quamplurimi antiquitatis ſophi, deum nouerunt ex lumine naturæ, veluti Hermes Triſmegiſtus, Geber, Democritus, Pytagoras, Plato, Ariſteus, Artephius, & multi alij Chymicæ propaginis antiquiſſimi, qui omnes ante natum Chriſtum floruerunt, hæbreorumque religionem non coluerunt, nec ſciuerunt: & tamen Deum vnicum æternum, increatum, omnipotentem, infinitum, creatorem omnium, protectorem & gubernatorem confeſſi ſunt, ſolo luminis intellectualis naturæ radio illuminati: è cuius fonte exhauſerunt diuinam illam, quam habuerunt de Deo cognitionem, rudem tamen, ſed nihilominus maiorẽ & clariorem illâ, quæ ſenſu externo ſimplici percipi poteſt. Quamuis enim Deus ſolus,ſe ipſum cognoſcat ex ſe ipſo, cûm ſe ipſum ſe ſolus capiat: attamen eum cognoſcere aliqua ratione valemus operibus manuum ſuarum, quæ nobis ſunt auxilio & ſubſellio, vt ad eum aſſurgamus, dictante Apoſtolo. Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, à creatura mundi intellecta, conſpiciuntur, hæcque cognitio diuina,quæ ex operibus Dei ſumit exordium, adeò facilis, euidens & docilis eſt, vt nemo ſapiens ea carere poſſit, aut ſaltem ſe excuſare valeat, quin rationis radio & lumine, huc penetrare queat, Deumque præter naturam noſcat: hæc enim ſcientia per ſe adeo nota eſt, vt ſi qui ſint, qui eam velint obli-

terare, se ipsos abrogent necesse est, tenebrisque profundis se immergant, & luce se priuent, qua qui non illuminatur, verè cæcus est,& terræ inutile pondus, dura silex, & marpesia cautes: diuinos igniculos silentes in se coërcens attritu & percussu sui ipsius excitatos non percipiens, nec vsui suo & vtilitati reponens: hi igniculi sat lucis effundunt ne Deum in creaturis percipiamus, veramque lucem illum fateamur,qui ex tenebris nihili eduxit nos,lucemque quamcumque,&ne extinguatur perenni suo foco & fomite conseruat & nutrit, alioquin in tenebras priores abiret, & nos etiam in primum nihilum corrueremus, ni virtute sua infinita persisteremus: Chymici Philosophi antiqui omnes, etsi Ethnici & pagani cum numquam sub vexillis Christi militarint, vt pote Christi sæculis & temporibus antiquiores, tam profundum inscitiæ veternum numquam obdormierunt, quin semper fassi sunt & professi Deum vnum naturæ totius opificem, eumque indigitatum inuenerunt in centro cuiuscumque rei:centrum enim cuiuscumque rei cum sibi semper constet, nec fluctuantibus & labilibus corruptionis motibus teneatur, sed semper mouens immotum per se persistat, diuinā quandam potentiam supra se arguit & indigitat, veramque Dei imaginem representat, cum ab eo fluant omnia in idque redeant vnde ortum habuerunt, Deum adhuc magis indicat: Nam sic ex eo centro siue substantia quam sal mundi, & terræ dicunt totius naturæ statumen & fulcrum, fomitem & nutrimentum sic arguere possunt; Hoc sal naturæ basis, & fundamentum, virtus

Chymici qua ratione Deum nouerunt.

Sal natura nõ est Deus. & energia, & natura ipsa, non est Deus cum æternitatem nesciat infinitam potentiam, supremam bonitatem immensam intelligentiam, virtutumque omnium & perfectionum supremum & inaccessum culmen prorsus à se eliminet: illa autem omnia supremæ virtutis attributa non sali huic, qui natura est, tribui possunt & donari. Superest ergo, dari aliquid & extra & intra & supra naturam quod his attributis insigniri mereatur, & queat, id autem solus est Deus; nam si hæc attributa in rerum essentia reperiantur, vt apud omnes in confesso est, soli Deo competunt & sunt Deus ipse, cum in Deo omnia sunt Deus, nec in ipso dissonum quid reperiri contingat.

Quibus rationibus Deũ indigitẽt in natura Chymici. Ex his iterum quærit & inuestigat medullitùs Alchymia Deum: Si inquit, natura sponte tẽdat in profundissimas & absolutissimas sui ipsius perfectiones, frustraneamque & vacuum nequeat esse eius intentum, quid prohibet Deum tanquam verum & vnicum suum centrum constituere cui soli gaudeat & quiescat, & profundissimæ perfectionis suæ abisso immergatur: verum enim est veroque verius & verissimum in rerum natura dari virtutes, energias, potentias & magnitudines, quæ sponte sua feruntur ad supremum gradum perfectionis: gradus verò ille omnino nequit esse supremus, quin sit etiam infinitus & immensæ suæ magnitudinis absque termino vllo & limite, vndiquaque circumfusũs. Cogimur ergo Deum confiteri in quo solo & vnico immensæ illæ virtutes, energiæ, potentiæ, & magnitudines absque vllo termino & limite sint vndiquaque profusæ. Non existimo tamen

proprietates has naturales & virtutes esse cum diuinis eiusdem naturæ: Naturalia enim cum diuinis nullam habent inter se proportionem etsi iuxtà se ponantur, nihil verè sunt, habent tamen allegoricum quoddam, cuius gratia Deo appropinquari possunt vt ex illa labili essentia infinitam illam perennem & semper sibi constantem contemplari valeamus essentiam, vt patet in sale terræ & mundi, quod quidem sal, & si creatum quid sit, Deus tamen in eo viuas sui imagines adeò pulchrè insculpsit, vt nemo vel minimi iudicij capax reperiri possit, quin illas agnosci cogatur, & vndiquaque clamantes imo voce grandi intonantes audiat: Deus est, qui hæc mirabilia fecit, & qui adhuc portat omnia verbo virtutis suæ. Ab eo enim & eodem fonte prodeunt, creari & conseruari. Naturam vidimus non à se ipsa creatam, eamdemque etiam contemplari licet non per se ipsam conseruatam. Superest ergo vt per alium creatam fuisse & adhuc conseruari asseramus, eumque Deum solum & vnicum fateamur: creare enim, quod est ex nihili fonte educere solo verbo virtutis, creataque conseruare, infinitam immensam, æternam, & omnipotentem præsupponit virtutem, virtus autem infinita, immensa, æterna, & omnipotens, est Deus ipse.

Naturale diuino non potest æquiparari.

Sal mundi Deum representat.

Perfricata igitur omnis suspicionis fronte, alacriter concludemus omnia qualiacumque sint in rerum serie dum sunt viuuntque, esse & viuere per Deum, qui est ens entium, & vera vita viuentium, in quo solo summum bonum, summa quies & felicitas suprema est expectanda: Sic

Nihil supremum fœli-

citatis culmen pertingere potest, quin Deum attingat.

Alchymia naturalia perscrutando, per genium ignis, qui est omnium occultorum scrutator, supernaturalia aliqua ratione. colligit, Deumque monstrat & indicat, non sicut sibi ipse est, sed sicut naturæ est, & tamen cum illo, & illo illuminante, alioquin omnia lux naturalis & ignis, tenebræ meræ plusquam Cimmeriæ sunt ad illam lucem superinaccessibilem & super incommunicabilem contemplandam, ad quam non attingit aliqua lux, nisi vera illa lux, quæ de cœlo descendit ad illuminandũ omnem hominem venientem in mundum, quam lucem adhuc non cognoscunt. Etsi in tenebris luceat, tenebricosi quammulti homines quibus cum agemus sequẽti capite, lucemque hanc in tenebris lucentem quantum natura potest, indigitauimus.

ALCHYMIA SUPPOSITA prius Reuelatione diuina, Filium Dei Patris omnipotentis, Patrique æqualem ostendit per similitudines & allegorias, quæ in sale siue Mercurio mundi reperiuntur.

CAPUT II.



SUPERIORI capite Deum ostendimus ex centro ipsiusmet naturæ incorruptibili, quantum eius valent humeri, & quantum potest hæc lux tenebrosa huic immensæ luci & infinitæ

appropinquare, hoc idem centrum naturæ, quod in tota rerum serie & singulis eius partibus incorruptibile quadamtenus reperitur, talisque sortitur naturam & essentiam. Inperscrutabile & inintelligibile filij Dei mysterium aliqua ratione rudique penicillo depingere potest, supposita priùs reuelatione quam de hoc mysterio cœlitùs accepimus. Sic enim fatur Alchymia de tanto mysterio. Perfectissima & numeris omnibus absolutissima virtus, potentia & energia, quam habere potest calidum innatum, rerum omnium materia prima & vltima, siue sal mundi & naturæ, hæc censetur, scilicet productio & generatio humidi cuiusdam radicalis eiusdem omnino & æqualis naturæ & essentiæ, virtutis & potentiæ, quodque humidum radicale & primigenium est synchronum & coæuum cum callido illo primigenio, à quo dependet per veram emanationem, seu productionem, quæ natum & genitum sibi similem & æqualem educit, ex pœnitissima sui essentia: humidum autem istud & calidum primigenium esse eiusdem naturæ & essentiæ, virtutis & efficaciæ, hinc constat, quod salem illum mundi, seu materiam rerum primã & vltimam constituant homogeniam omnino similis & eiusdem substantiæ, per totum suæ cõpaginis ambitum. Philosophi etiam omnes & Medici calidum innatum & humidum primigenium quæ in centro rerum omnium latitant non dissona esse fatentur eiusdemque naturæ esse admittere coguntur, ob generationes & productiones mixtorum & indiuiduorum homogeniorum, quæ sub toto cœli concauo reperiuntur: sunt

Centrum naturæ incorruptibile est.

Præstantissima virtus materiæ primæ est generatio.

Humidum primigeniũ eiusdem est essentiæ cum callido innato.

etiam hæc ambo contemporanea & coætanea, quod calidum istud innatum absque suo humido esse & persistere nequit: non potest autẽ persistere propter radicales & essentiales vniones, quas cum humido suo, ab origine contraxit, alioquin mancum quid & valdè inperfectum fuisset calidum istud, si vita siue humiditas radicalis & primigenia, in ipso creationis instanti & momento connexa illi non esset.

Eget calidum innatum humido primigenio suo, tanquam pater filio vt nomine patris frui queat: nam calidum istud nequit esse innatum, quin indissolubili vinculo humidum primigeniũ sibi connexum habeat. Si hæc ita sint, vt vere sunt in hac rerum vnica substantia, vndenam habuit hanc mirabilem & stupendam similis sui productiónem? Habuit ex primo sui ipsius opifice, & protoarchæo, nihil autem habuit & exhausit ex hoc infinito fonte, quin multo perfectius & infinito modo, vt infinitus est ipse conditor, habeat & possideat: Magnum enim est & mirabile generandi naturæ robur cuius occultas scire artes notasque penitùs habere Dei solius est, non humani intellectus. *Hæc mira producendi potestas in creatis, arguit aliquatenus illam infinitam in diuinis generandi potentiam: Deus enim rerum omnium pater verus pater esse non potest, quin filium sui similem habeat: mundus autem hic vniuersus sui similis omnimodè esse nequit, nec etiam ille verus filius suus, nec ipse pater, propriè ex tali filio vocari potest, nihilominus pater est. Superest ergo, vt filium habeat sui similem, æternum, infinitum & omni-

Generationis & mixtionis inextricabiles sunt viæ.

Qua ratione Alchymia probet filiũ esse in diuinis.

potentem, ex quo ſolo verus vocetur pater, patris enim eſt in creatis totam ſui communicare ſubſtantiam filio ſuo, virtutem & energiam, vi ſeminis ſui, quæ totam patris virtutem & energiam eſſentialem complectitur: Dei etiam erit in diuinis omnino perfectiſſimo modo, & nobis incomprehenſibili & indicibili, totam ſui communicare eſſentiam alteri, qui non erit alter ratione eſſentiæ, ſed alter ratione perſonæ. Neceſſe eſt ergo in diuinis patrem producere filium, ſibi æqualem infinitum æternum & omnipotentem.

Sic Alchymia interiora naturæ creatæ contemplans myſteria increatæ naturæ ſua qua poteſt mente arguit, nec hominum tota ſeries, nec omnes ſimul Angelorum ordines poſſunt hac penetrare. Solus eſt Pater, ſolus eſt Filius, ſolus eſt Spiritus ſanctus, ſola eſt hæc Trinitas, vnus Deus qui hæc myſteria nouit & per gratiam nobis communicauit, non vt verè ſunt & exiſtunt, ſed quo intelligibili poſſumus complecti modo, quantum poteſt mens humana per tenebroſos cancellos luminis ſui, in ſpeculum tranſmittere ſuum.

Diuina Trinitas ſola poteſt penetrare Trinitatis myſterium.

GESTIT ALCHYMIA ostendere in diuinis Spiritum sanctum à Patre & Filio procedentem. Per siccitatem quæ est in Mercurio mundi.

CAPVT III.



CALIDVM innatum mundi & humidum primigenium quæ in sale naturæ reperiuntur rudem nobis quandam speciem & vmbram delinearunt. Diuini Patris omnipotentis & filij sui coæui & immensi. Iam verò siccum quod in eodem sale, seu Mercurio mundi, à prima rerum origine Deus collocauit, & à calido innato & humido primigenio procedere fecit: Spiritum sanctum à Patre luminum & Filio procedentem, rudi nobis Minerua depinget: Percipere animo non possumus, calidum innatum mundi producere posse suum primigenium sibi coæuum æqualem & homogenium absque innato mutuoque amore, quo tanquam indissolubili vinculo strictissimè simul vinciantur imò vniantur vnitate essentiæ, vt vnicum homogenium & simile constituant suppositum: Hic autem amor & vinculum, quo simul vinciuntur non est quid dissonum, & differens ab vtroque coniunctin, nec ab vtroque disiunctin, sed est quid penitus

Spiritum sanctũ quid in natura representare potest.

vnum & idem in vnico ſuppoſito adunatum. Nihilominus vinculum hoc quod in ſiccitate ſalis radices altas agit & ſiccum ſalis, ſeu Mercurij dicimus, non eſt calidum innatum & humidum primigenium, ſed quid diſtinctum & nomine ſeparatum & non eſſentia diſſonum ac differens, à calido & humido procedens, illaque vniens & vinciens vinculo idemtitatis & vnitatis, in corpore ſalis, quod Alchymiſtæ omnes miris tricis, & ænigmatum nubibus varijs & obſcuris occultarunt, ob myſtica quæ in ſale latent ſtupenda. Vnde etiam Alchymiſtæ ita dicti ſunt, quod myſterijs ſucci ſalis præſint, & myſtica ſalis tractēt: ἅλς enim ſal eſt, & χύμος ſuccus & myſtæ, myſteriorum præſules habentur. Sali ergo myſteriū magnum maximoque maius, ineſt: cernimus in eo calidum innatum, humidum primigenium & ſiccum radicale, quod procedit ab actione calidi innati in humidum ſuum, hæc autem actio nihil aliud eſt quam amor & vinculum quo ſimul copulantur & ſibi conſtituunt illud vnum homogenium viſibile & palpabile corpus.

Vinculum calidi & humidi primigenij, quid.

Alchymiſtæ vnde dicantur.

Si in ſale mundi hæc myſteria percipiamus, proceſſionem, vinculum, donum & amorem vt ita loquar, vndenam ſibi vendicauit tantum naturæ donum, & tam pretioſum arcanum: nihil enim à ſe ipſo habet ſed quidquid habet, à creatore & protoarchæo ſuo, ſumpſit exordium. In primo ergo iſtius ſalis artifice perfectiſſimè completa ſunt, quæ in ſole adumbratum tantum depingi poſſunt, decet patrem æternum, decet filium patri coæuum, amorem impertiri mutuum, vinculum, donum, ſpirationem infinitam, æter-

Attributa diuina reciproca ſunt.

nam, omnimode perfectam & absolutam, vtrique personæ patri filioque coæqualem.

Decet patrem amare filium, decet filiũ amare patrem, sed quia ambo infiniti sunt, eorũ etiam amor mutuus, infinitus esse meretur; decet etiam patrem decet & filium mutuo illo se dotari dono, & vinculo pari se vinciri, vt vnum constituant Deum, tribus personis distinctum, & Trinitatem vera vnitate essentiali adunatam.

Hæc mystica nulli mortalium & Angelorum nota, sed soli omnipotenti Trinitati, benignissima hæc sancta maiestas per gratiam, fidemque Catholicam & orthodoxam nobis communicauit, prædicante ipso IESV CHRISTO Dei vero filio & illuminante Spiritu sancto. Nihilominus adumbratas horum mysteriorum figuras in sale mundi conspicimus: sunt enim in ipso tria distincta, calidum puta innatum, humidum primigenium & siccum radicale. Calidum innatum patrem repræsentat, diuinitatis fontem, vt calidum innatum naturæ scaturiginem: humidum vero primigenium à calido innato emanans & genitum, filium ab æterni æui immensitate à patre luminum deductum aliquatenus ostendit. Siccum autem radicale quod humidum primigenium & calidum innatum indissolubili vinculo nectit & copulat ad vnitatis essentiã & quod ab vtroque procedit: Spiritum sanctum rudi suo vt pote naturali penicillo, nobis depingit: hæc tria, quamuis tria distincta sint, verum vnum constituunt vera vnitate suppositum, ita vt non absurdè dicere possimus, Sal trinũ esse & vnum, Trinitatemq; sacram & sanctam Christianis adora-

Vniuscuiusque Trinitatis sacræ personæ Symbolum.

Sal Trinitatem sacram repræsentat.

adorabilem nobis quodammodo figuris suis naturalibus tanquam imaginibus quibusdam distinguere posse.

Nullatenus tamen ambigendum est & existimandum, quin orthodoxè credam has figuras & allegorias naturales, futiles & inanes, prorsus esse, vt modicum & tantillum diuinitatis mysterium absolutè & perfectè distinguant: quidquid enim Dei est, profundissimæ infinitatis abysso immergitur, nec vllis naturæ terminis exprimi potest. Nihilominus mirum est, & stupendum, quod rudis quædam & adumbrata figura diuini entis in natura reperiatur, cuius ope & auxilio diuinum illud ens entium fateri valeamus, trinum & vnum, trinum in personis & vnum in essentia. Prima persona Patris est, secunda Filij, tertia Spiritus sancti: Patris tamen non ita prima est, vt aliquid æui ante alias prius sibi vendicet, nec filij etiam secunda est persona, & Spiritus sancti tertia, vt aliquod temporis posterius hæ personæ habeant patri personæ; non datur enim in diuinis prius & posterius ratione temporis, sed solùm ratione originis; omnes etenim personæ æternæ sunt, nulloque temporis termino circunscriptæ ante tempus erant, & tempus ipsum per ipsas sumpsit exordium. Pater tamen primus est in Trinitate, tanquam à se ipso dependens & primus diuinitatis fons & scaturigo, à qua sola prima scaturijt essentia diuina; filius autem secundus est, vt verus primogenitus patris non tempore sed origine tantum. Et vt pater primus est, vt generans, ita & filius secundus est vt genitus, vt pater primus est qui dat diui-

Mirum est, quod in natura Trinitatis diuinæ, rude reperiatur simulachrum.

Pater in Trinitate qua ratione primus, filius secundus, & Spiritus sanctus tertius.

nam essentiam, ita filius secundus est, qui recepit eam. Et Spiritus sanctus tertius est in diuinis, tanquam ab vtroque procedens.

In sale mundi quem Chymici Mercurium dicunt, fas est nobis aliquid simile rimari & allegoricum, quod per reuelationem priùs cœlitùs demissam horum mysteriorum, ab Spiritu sancto in orbem terrarum diffusam, speculũ quoddam videtur in ænigmate beneficio cuius, hæc quadantenùs mystica conspiciuntur, non vt se habent, vt sæpe dixi: quia vero verius est, hæc mysteria tanta esse & supra naturam, vt nulla creaturarum ne tantilũ quidèm concipere queat, ni Deus summus, misericors & gratia & bonitate sua, nobis communicasset ingeniumque inde dedisset, huius occulti mysterij exempla & figurat in natura ipsa rimari quæ nobis aliquatenùs explicant & distingunt, quod fides Catholica & orthodoxa, nos credere iubet, in salutem æternam fidelium omnium.

Mysteria diuina supra naturã sunt.

In sale ergo mundi vel materia rerum prima, calidum innatum primum dicimus non tempore sed origine solum. Primum enim est, calidum illud, vt fons & scaturigo vitæ, vitam omnibus communicans & tribuens, humidum primigeniũ secundum dicimus, non vt quid posteriùs factũ & creatum post calidum suum, sed vt quid ab illo calido, in ipso creationis momento, diductũ, & vitam recipiens, à calido innato dimanantem. Siccum autem quod in eodem sale reperitur, tertium dicimus tanquam quid ab vtroque procedens. Hæc tria distincta ita firma compagine & dura connexa sunt in vnum suppositũ, vt nulla

In sale mundi, quid sit primum, quid secundum, quid tertium.

vi naturali quamuis fortissima disiungi possint. Hinc colligere nobis fas erit, quãtũ inseparabilis sit naturæ diuinæ vnitas, quãuis in Trinitate personarum consistat, cum in naturalibus rude hoc exemplar habeamus, vt hanc Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate confiteamur.

Inseparabilis est natura diuina vnitas.

Obijciet forsan Panurgus quidam in Chymiã artem malè feriatus, allegorias, similitudines & icones Chymicas toto cothurno dissonas cũ diuinis reperiri: Pater namque æternus, Filius & Spiritus sanctus in diuina & sacra Trinitate, personæ sunt intellectuales. Nam pater generat filium operatione intellectus, & Spiritus sanctus ab vtroque procedit, vnica voluntate Patris & Filij: hoc autem sali eiusque partibus prorsùs denegatur, sic humidum primigenium à calido innato suo, non diffluet operatione intellectus, vt filius æternus à patre luminum ab æterno descendit, nec siccum item radicale vitæ, ab vtroque, putà calido, & humido primigenio procedet, via voluntatis, vt Spiritus sanctus à patre filioque procedit, & ita siccum istud radicale vitæ, amoris titulo insigniri indecorum erit, nec doni spirationis vinculique diuini nomine ornari fas erit. Nam hæc omnia voluntatis sunt, quæ penitùs in animo sali, & Mercurio denegatur. Obiectionem diluimus multis in locis, in quibus asserimus, creaturarum nullam opifici suo æquiparari posse, solumque Deum sibi similem esse: hoc autem concludit obiectio, quod & nos tota mente fatemur. Nihilominus asserendo concludimus, Salem mundi seu Mercurium etsi nullo rationis

Obiectio in similitudines à Chymia desumptas, ad Trinitatem sacram repræsentandam.

Obiectionis dissolutio.


& intellectus radio coilustretur, nec vlla voluntatis libera lance, in vtramque vibrari queat partem. Nihilominus cum Deo ita quadrat, vt si quid est, quod creatori suo valeat appropinquari, ne dicam æquiparari, solus erit Mercurius & sal mundi, quod à plurimis Chymicorum antiquorum terrenus dictus est & mundanus Deus: vim enim illam Mercurij viuificantem, & vitali nectare plenam quæ in cælis est, phœbum dixit antiquitas, quæ in aëre latet Iouem, quæ per aquas diffunditur Neptunum, quæ terrarum antris occultatur, Opem, Rhean & Plutonem finxit fabulosa vetustas. Sic varijs nominibus deorum suorum Mercurium nostrum, qui verum Deum & vnicum rerum omnium patrem testatur, & naturali suo gnomone indigitat, occultarunt.

Mercurius vita, varijs insignitur nominibus, vt varia & multiplex intelligatur eius virtus.

Mira est phœbi vocis interpretatio, mira Apollinis, mira Iouis & Plutonis reliquorumque deorum antiquorum, quam apud Panchymicum meum legere licet ad virtutes & agendi potentias & energias declarandas istius occulti salis & Mercurij, qui totum mundum naturæque vastissimum campum suo ambitu complectitur, suoque spiritu afflat & animat quæ animanda sunt. Sicque veri Dei imaginem & iconem quodammodo nobis representat & exhibet, & per ipsum, & in ipso, & ab ipso, mundus hic vniuersus & singulæ eius partes, indiuidua & mixta omnia, & singula, Deum quadamtenùs figurant & ostendunt, quod omnia trina sint & vna. Vnde triangulus ille Chymicus, puncto medio tanquam circulo notatus, ab

Mercurius qua ratione Deum representet.

antiquis hoc ænigmate circumſcriptus depingebatur:



Ita vt ex hac Trinitate in vnitatem deſinente, quæ in ſingulis mundi partibus & in toto mundo reperiri contingit, licet nobis occupati labili noſtro concipiendi modo, Trinitatem ſacram & ſanctam, quæ in diuinis reperitur, perſonarum pluralitate trina & diuinitatis eſſentia vna. Non ſecùs ac in natura Sulphur. Mercurius ac ſal, ſiue calidum innatum, humidum primigenium, & ſiccum radicale & inſitum, materiam primam & vltimam rerum omnium ſiue ſalem aut Mercurium mundi conſtituunt, vnicam palpabilem & viſibilem rerum omnium materiam oculis & ſenſibus Chymicorum: hæcque materia ratione hominis quem componit & figulat, in Deum iterum terminatur & definit, vt omnia redeant in idipſum, ex quo ſolo, & vnico ſumpſerunt originem, & vere canamus.

Materia prima qua ratione redeat in Deum, vnde ortum habuit per creationem.

Cuncta vnum & tria ſunt, tria ſic diſtincta ſub vno
Sic vnum in tribus eſt, ſic ſurgit quodlibet vnum
A tribus & triplici commixtio ſurgit ab vno.

En vt Alchymia internam rerum omnium anatomen ignibus ſuis perſcrutando, ignes verè

cœlestes & æternos naturæ totius veros, vnicos, & primos opifices inuestigat eorumque vestigia intimis naturæ penetralibus inusta, nobis contemplanda detegit & apperit.

Inseparabiles sunt actiones personarum sacræ Trinitatis.

Omnes enim & singulæ diuinitatis personæ, hunc mundum rerumque seriem vniuersam cōdiderunt: vt enim inseparabiles sunt, ita inseparabiles habent actiones, ita etiam omnes indelebili earum omnium nota, mundum totum & naturam insignierunt, vt ab ipsa nota, opifices tanquam ex vngue leones notos haberemus.

Essentiæ diuinæ vnitas ex diuinitatis personarum pluralitate trina, aliquatenùs explicatur, Per substantiæ vnitatem Mercurij siue salis mundi.

CAPVT IIII.



RINITAS illa substantialis, quæ in materia rerum omnium prima & vltima, siue, vt Chymicè loquar, in Mercurio & sale mundi reperitur, cum constituat & componat vnum suppositum, indiuiduum vnum, & mixtum verum, vnicum vnitate essentiæ naturalis, aliquo nobis est auxilio, vt diuinam illam & sacram Trinitatis personarum pluralitatem, vnitatis essentiæ vinculo

verè adunatam fide orthodoxa confitendam conſpiciamus.

Quemadmodum enim facili mentis conatu, calidum innatum, humidum primigenium & ſiccum radicale in ſale adunata intelligimus, nec vllo modo, in illo ipſo ſuppoſito formas conſtituere multiplices, ab illis enim fluerent & plures entitates & ſuppoſita plura: At ſuppoſitum eſt vnum, ergo & vnica in eo datur forma & in ipſo vnico radicatur entitas, quæ eſt ſubſtantiæ & eſſentiæ vnitas. Nihilominus calidum innatum præſupponit humidum, in quo agat & vitam gignat, genitor præſupponit genitum dans, recipiens, cauſa, effectum, pater filium indigitat, & inter hæc ambo, amor vinculum & relatio, vt quid diſtinctum ab ambobus refertur, ſic quod dat non eſt, quod recipit: nec vice verſa, quod recipit eſt quod dat. Nec item vinculum amor & relatio, quæ his ipſis ineſſe contingit, eſt quid eorũ, ſed quid neutrum ab vtriſque diſtinctum, ſic horum trium notiſſimam habemus diſtinctionem: At cum ſagaci mentis examine perpendimus, donãtis nihil prorſùs eſſe, quin illud omne quod habet, ſit & accipientis, & vice verſa, nihil accipientis eſſe, quin & illud omne quod accepit ſit pariter donantis, & vinculi item eſſe, id omne, quod vtrorumque eſt, nihil prorſus eſt calidi innati, quin id ipſum omne ſit & humidi primigenij, nihil humidi, quin iterum calidi, nihil rurſùs calidi & humidi ſimul eſſe poteſt, quin idipſum, ſiccum radicale quod eſt vtrorumque vinculum habeat, & ſuis coërceat viſceribus. Dum hæc ita ponderamus facili mentis noſtræ conatu

Qua ratio vnitas & Trinitas in perſonis diuinis conſiderẽtur, & in naturalibus contempletur

intelligimus, hæc tria, diuerso respectu distincta, vnum tantum constituere & componere vitæ Mercurium totius naturæ fundamentum, & Trinitatis vnius, & vnitatis trinæ sacræ & sanctæ rude quoddam nobis esse posse exemplar & Icon. Hæc altissima mysteria & supra naturam inscrutabilia & incomprehensibilia, possumus etiam quadamtenùs explicare ex specifica hominis essentia, quæ Physicis latinis humanitas dici potest. In hac ergo humanitate seu specifica hominis essentia, quamplurimi & fere infiniti reperiuntur indimiduj homines, qui hanc vnicam & eamdem possident humanitatem nullo quouis modo in omnibus & singulis hominibus dissonam & differentem, sed plane eamdem, alioquin singula huius speciei indiuidua, homines non essent; dicuntur enim tales & verè sunt ab illa vnica & simili humanitate, quam possident omnes & singuli. Hæc autem humanitas tota & integra in paternitatem, filiationem & relationem patris & filij, filijque & patris distinguitur, si ita loqui mihi fas sit, & hæc verba latinitate donare.

Trinitatis explicatio in humanitate.

Totus ergo humanitatis ambitus qualiscumque & quantus sit, his tribus terminis circunscribitur, nec tamen alibi discrepantem habet essentiam; humanitas siquidem patris & filij, filijque & patris eorumque relatio, vbique concordi eadem & simili specifica forma ligantur, & proinde specificè non differunt aut patens sequeretur absurdum: Patrem nimirum filium sibi similem non generasse, nec filium patri concordi & simili icone ligari: hinc etiam sequeretur, species vltimas diuisionem pati, & in alias subal-

ternas secari posse species: Nauci vero & nihili esset relatio, cum inter res discrepantes & forma dissonantes apud Logicos dari non contingat; inde iterum indiuidua specierum, specierum facultates & potentias sibi vendicarent: humanitas siquidem patris & filij, si inter se speciè differret, aliam speciem primam speciei discrepantem constitueret, & sic specierum entitates absque necessitate multiplicarentur, & sic primum & vltimum natura redoleret cahos. Statuamus ergo, & rotæ volubilis huius quæstionis clauum firmissimum imponamus: Species rerum vltimas vnicas esse, ac pro indè in alias non dissecari posse species, quorum omnium ambitus, à centro ad circumferentiam vsque, paternitate, filiatione & relatione concluditur. Hæc autem omnia inter se distincta non forma differentia vnitatis specifico vinculo coniungi & conuerti, vt adumbratam quandam in rebus creatis figuram rerum diuinarum contemplari valeamus. Non enim has similitudines & allegorias satis habere virium fateor, vt personarum diuinarum Trinitatem sacram, & nobis adorandam vnitatis essentiæ nexa indiuiduali deuinctam patefacere possint: Quidquid enim est in tota rerum natura, siue coniunctim & disiunctim colligatur ad hoc ineffabile mysterium explicandum, mera est vmbra, tenebris Cimmerijs prorsùs & densissima caligine plena: Quæ enim sunt in diuinis patris facultas, filij virtus horumque in se inuicem amor, vinculum, spiratio & relatio realis, adeò vna sunt vnitate reali & indiuiduali diuinitatis, vt inter res creatas, similitudines eiusdem vni-

Species rerum vltimæ vnæ sunt.

taris inuenire putare, crimen sit stolidæ mentis, diuinitas si quidèm Patris, Filij & Spiritus sancti, ita vna est quamuis trino personarum numero distinguatur, vt menti nostræ, vnitatis illius & Trinitatis culmina inuia verè sint & inaccessa, fide potius & corde confitenda, quàm humanis perscrutanda argumentis: nihilominus mihi fas est, possumque matris Romanæ Ecclesiæ Catholica & orthodoxa doctrina, tanquam bacculo firmissimo innixus, inuia hæc montis excelsi perceptare, eaque chartis his lenibus exarare.

Diuinitas quæ patris est, eadem est & similis prorsus Filij & Spiritus sancti, & quoquo versum diuinitatem hanc pellas, circa trium personarum ambitum, immensum & infinitum, & eandem & similem immensam & infinitam reperies, non datur aliquod diuinæ naturæ nomen quod sic Deo Patri conuenire valeat, vt aut Filio aut Spiritui sancto conuenire nequeat: Dicimus patrem naturaliter esse Deum, dicimus & Filium & Spiritum sanctum pariter esse Deum; non tamen tres Dij, sed vnus naturaliter Deus; Pater, Filius & Spiritus sanctus. Idcirco inseparabilis est sancta Trinitas Deus in personis sensu intelligenda, quamuis voce separabilia habeat nomina, quia pluralem numerum in naturæ diuinæ nominibus nullatenùs recipit. In hoc enim ostenditur personas non posse diuidi in sancta Trinitate, quia vnus Deus verus est, quia cuiuslibet personæ nomen, semper ad alteram respicit personam. Si patrem dico, filium ostendo, si Filium nomino, Patrem predico, Spiritum sanctum appello, si diuinæ hæ personæ sacræ &

Augusti in med. cap. xxx.

ſanctæ non eadem prorſùs fulcirentur eſſentia, abſurda hinc ſequerentur multa quibus corrueret potiùs totum quàm ſibi conſtaret diuinitatis numen. Primò dicere poſſemus patrem non potuiſſe aut voluiſſe filium ſibi ſimilem & æqualẽ generare, ſi non potuiſſet; ergo non omnipotens, ſi noluiſſet, ergo non ſummè bonus, at in filium malè feriatus, vel ſi potuiſſet & noluiſſet, ſimulque eſſent duo dij & tres vna cum Spiritu ſancto, ſequeretur, hos tres Deos non eſſe omnipotentes: vbi enim datur entitatis & eſſentiæ differentia, ibi etiam datur contrarium inimicũ & aduerſum differentiæ, proles & propago: vbi eſt contrarium inimicum & aduerſum, ibi etiam datur & pugnandi & vincendi mira cupido. Si ergo pugnent, tandem vincant & neceſſe eſt, ſi vero nulla vnquam patiantur victoria, impotentes & debiles fatendi ſunt, cum nullus eorum aduerſus inimicum ſibi contrarium, victoriam referre queat vllam: ſic funditùs corruit ſtabilis & pluſquam firmiſſima diuini numinis baſis & columna, quam ſolam vnitatis vinculo tanquam inexpugnabili vallo premuniendam eſſe, credendum & confitendum eſt: Res omnes vnitatis nexu adunatæ, fortiores & potentiores ſunt, rebus omnibus pluralitatis numero diſiunctis & ſegregatis: diuiſio enim & ſeparatio perditionis & corruptionis eſt vera propago.

Abſurda multa eſſent ſi Trinitas in diuinis non eſſet vna.

Res vnitatis nexum coniunctæ fortiores diuiſis ſunt, diuiſa ſunt debiliores.

Inſeparabilis ergo Trinitatis diuinæ vnitas, & eiuſdem vnitatis vera Trinitas, immenſæ, æternæ, infinitæ & omnipotentis diuinitatis eſt fundamentum, quia vera eſt Trinitas

in vnitate, & vnitas in Trinitate: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus: & hi tres vnus Deus in eſſentia credendus, & trinus in perſonis eſt confitendus. Vidimus huius myſterij rudes icones in Chymica ſalis ſeu Mercurij mundi anatomia. Sunt & aliæ quamplures in rerum vniuerſa natura, quas videre licet cuilibet legenti apud Raymundum Sebom in Theologia ſua naturali, vbi doctiſſimè & acutiſſimè, oſtendere geſtit, quod & quanta ſint in rerum natura huius diuinæ vnitatis ſimul & Trinitatis exempla. Chymicè tamen hæc non proponit ſed Phyſicè ſolum, ſi Chymica hæc ſibi propoſuiſſet exempla artemque notam habuiſſet, non dubito quantulumcumque gloriæ, quod ex leni hoc opere in me redundare poteſt, quin mihi procul dubio ſurripuiſſet: nihilominus laudis quammaximè præconio dignus haberi meretur, quod primus hæc myſtica Phyſicè tractauerit, Deumque creatorem occultè in creatis indigitatum patefecerit, viamque hanc inuiam explanauerit, & ad gloriam proximum fecerit qua itur ad Deum per creaturas.

Raymundus Sebon laudatur.

Querit adhuc Alchymia essentiæ diuinæ vnitatem, Personarumque diuinarum Trinitatem, per Mercurij vnitatem trinam.

CAPVT V.



T altitudinem huiusce immensi & infiniti mysterij profundiùs adhuc, humanitùs tamen & via naturali, apprehendere quis valeat, & vt in creatis depictum est à summo ipso creatore, ostendere quis possit, scire est, & alta mente reponere, Deum in principio exhausisse naturæ basin & fundamentum ex nihili fonte per diuinam suam & omnipotentem gratiam: non sibi, quia nullo pacto egebat tali creatione, sed alijs substantijs ratione & intellectu præditis, quibus se notum facere dignum erat iustumque tantæ & optimæ maiestati. Oportuit ergo creatorem, vt eum aliquatenus ex operibus suis notum haberemus, sigillum sui ipsius, suis operibus indelebili nota inurere; quod autem & ipse perenniter sibi constet, æternus, immensus infinitusque sit, prægrandi etiam maximæque maiori naturæ parti sigillanda erat sui ipsius imago. Voluit autem materiæ primæ seu Mercurio mundi, rerum creatarum vt potè maximo viuas sui imagines extentiùs imprimere, vt infinitæ suæ & omnipotentis

Mundum non sibi creauit Deus sed homini.

eſſentiæ & naturæ nobis rudem aliquam daret iconem. Prænitet enim Dei imago, quammaxime in Mercurio mundi hac potiſſimùm rudi ſymmetria: Mercurius trinus & vnus eſt, Deus item trinus & vnus eſt.

Trinitas & vnitas in diuinis omnium potentiam arguit.

Trinus & vnus eſt Deus, quia eſt omnipotens: omnipotentia enim arguit Trinitatem & vnitatem, vt filium ſibi æqualem & ſimilem producat, & ambo Spiritum ſanctum ſimilem & æqualem ab vtroque procedentem perpetua & æterna voluntate ſpirent. Elucet enim hac potiſſimùm in parte diuina infinita poteſtas, quod pater filium ſibi æqualem infinitum & æternum ab æterno produxerit, & quod ab his perſonis pariter infinitus ab vtriſque emanet amor, & quod hæ tres perſonæ vnicum tantum conſtituant Deum, & vnica ex his eſſentia exſurgat. In Mercurio licet aliquatenùs hoc ſymbolum Trinitatis & vnitatis inuenire, rudi tamen, vt dixi & multò diſtanti ſymmetria: Nulla enim eſt inter creaturam (ſi propriè loquendum ſit) & creatorem proportio, nihilominùs ita fari licet, vt creatoris infinitam erga nos pietatem & gratiam contemplari valeamus, qui ſe ſimilem nobis ante Chriſtum natum & conceptum facere, aut ſaltem ſigillum ſuæ imaginis materiæ noſtræ primæ imprimere, geſtijt, vt nullum eſſet temporis momentum, in quo rudes homo Dei non ferret imagines.

In homine eſt perpetua Dei imago.

Rationes vnitatis & Trinitatis in Mercurio.

Quæramus ergo iam rationes Trinitatis & vnitatis in Mercurio noſtro, vt in illo nonnullam Dei imaginem iudicemus. Trinus ergo & vnus eſt Mercurius mundi, non vt omnipotentem,

hoc est infinitam sui potentiam & energiam ostentet, vt in vnico immota permanet Deo, sed vt omnium generationum, corruptionum & alterationum compotem se præbeat, & ita quodammodo in naturalibus omnipotens dici potest Mercurius, seu materia prima, quia quid quid est in rerum serie ab ipso sumit exordium. Vt autem hanc sui ipsius omnipotentem in rebus generandis, corrumpendis & alterandis facultatem, vim & energiam ostendat, Trinitatem hanc & vnitatem quam supra declarauimus sibi vendicari necesse est: non potest siquidèm Mercurius seu materia rerum prima, res producere omnes, quin formam ex intimo sui ipsius corde, educat: Nihil enim est in toto rerum orbe forma destitutum, neque materiæ est formam dare, quin & ipsa formam, formarum omnium virtute & energia præmunitam in penetralibus sui ipsius coërceat; nec item materia & sua forma possunt inuicem se permiscere quin indissolubili vinculo & nexu, inter se connac&tentur, cum & ipsa rerum omnium supposita habeant vinculum illud & ligamen, quod materia eorum & forma iunguntur. Hæc autem tria, vna, & hæc vna tria superiori capite ostendimus.

Mercurius qua ratione dicatur omnipotens.

Reliquum ergo iam nobis erit Trinitatem hanc reperiri simul & vnitatem in Mercurio seu materia rerum prima, ad ostentandam illam immensam, quam in rebus generandis & conseruandis facultatem obtinet. Nam si hæc tria non essent in materia prima, simùl & vna, tota corrueret machina mundi, nec sibi constare posset, vt

Trinitas & vnitas Mercurij ostenditur.

vt ſibi conſtat, niſi materiam haberet mundus incorruptibilem & permanentem, circa quam fierent generationes, corruptiones & alterationes, & niſi hæc materia formam haberet perennem & ſibi conſtantem æqualem & ſibi ſimilem, cuius actionis immenſæ & omnigenæ potentia educerentur, & aliæ rerum innumerabilium formæ, & non ab aliqua alia externa & aduentitia facultate; quidquid enim eſt in generatione rerum naturalium ex intimis eſt, nec quicquam de foris aduocatur niſi ad fotum vel nutritionem rei generandæ, & adhuc ipſum ſimile eſt & æquale & ſiquid diſſonum habent, alteratur donec ſimile fiat & æquale. Materia ergo & forma eorumque vinculum & ligamen indiſſolubile, in vnico reperiuntur ſuppoſito, incorruptibilia & ſemper ſibi conſtantia, vt mundus ſibi conſtet & permaneat, in quantas noluerit architectus æternitates. Et vt ciuitatis & vnitatis diuinæ vmbram in hoc ſpeculo naturali conſpiciamus, illiúſque Trinitatis & vnitatis incredibilem energiam, & immenſam agendi facultatem contemplemur, in diuinis, vt infinita abſolutè habeatur, in naturalibus, vt prægrandis adeo ſit, vt nihil addi poſſit maius. Quapropter totius antiquitatis Sophij diſtinctè ſatis hanc rudem Dei imaginem in Mercurio noſtro depinxerunt, vt legere eſt apud Orphæum ſic Lyra canentem.

Alimentum etſi diſſonum ſit rei nutriendæ, alteratione fit ſimile.

Orphæi ſententia de Deo.

Pan fortis, vafer, omnipotens, antiquior æuo,
Igneus, Æthereus, terreſtris Aquaticus, vnus,
Et varius varijs mutans mortalia formis
Corpora, qui reſidens vno, cum tempore, throno,

Et

Et terras tractusque maris cœlumque profundum
Plantarum genus, atque hominum genus omne ferarum,
Æquoreosque fouens pisces, pictasque volueres,
Qui terram in Lymphas conuertis, in aëra Lymphas
Aëraque in flammas, flãmas qui rursus in vndas,
Vndas in terram, terram dissoluis in auras,
Aëris atque ignis germen telluris & vndæ
Principium, quo cuncta vigent, quo cuncta mouentur
Corpora, quæ proprias animalia quæque figuras
Accipiunt, te cuncta sui, mutatio motus
Anthorem agnoscit, cunctos tu Spiritus ingens
Intus alis magno commixtus corpore fœtus
A te principium sumpsit, tibi desinet orbis
Et tua perpetuis miranda potentia factis
Integra, producto quæ semper ab orbe remansit
Omnia concipiens, generans, generataque seruans.

Sic Mercurio mundi tribuerunt vim illam & energiam naturæ vniuersalis, quam nominibus diuinis insignierunt. Non vt puto Deum facerent hanc naturam & vim mundi, sed vt diuinæ mentis iconem & ideam immortalem immutabilem & inuiolabilem in ipsius naturæ centro nobis darent conspiciendam. Quam etiam Chymicorum Archysophi in ipso nomine, seu in cortice externa vocabuli ipsius salis prænotarunt, Sal enim tanti mysterij compos, omni ferè variarum gentium idiomate, tribus inscribitur litteris Hebraicè enim depingitur MELACH, & mutato puncto pronuntiare possumus MELECH,

Sal omni gẽtium idiomate tribus inscribitur literis.

Sal Hebraicè quod notet & eius mysteria ex Hæbraica lingua de- [illegible]

quod potentiam dominationem significat, & si litteras inuerso ordine collocemus, anagrammatis more dicemus LECHEM, quod panem sonat; ita vt in verbo Hebraïco MELACH, quacumque volutetur parte, diuinum semper quid notatum habeamus, quod etiam adhuc medullitùs, Hæbreorum Arithmeticus calculus perquisiuit, vocabulum enim MELACH numero septuagesimo octauo æquipollet. MEN enim quadragesimo, LAMED, trigesimo, & HETH octauo numero respondet, illud totum in vnum coactum septuagesimum & octauum constituit numerum, qui in nullos alios potest diuidi numeros, absque diuini numinis numero sancto & sacro: diuidatur si quidem in tres numeros æquales, singulus cõstituet numerum vigesimum sextum qui est numerus sanctus & sacer, magni & ineffabilis tetragrammati IHOVAH. Diuidatur per medium, trigesimus nonus efficietur numerus, qui respondet numero nominis sancti & sacri Chuzu; Si vero in decimas tertias diuidatur partes, sextus exurget numerus in singulis partibus, hic autem numerus est numerus vitæ totius, & totius perfectionis, cum totus mundus vitæ plenus sexto completus est die. Si vltimò in simplices diuidatur vnitates, vnitas quæque diuinæ essentiæ vnitatem nobis suo typo indigitabit, sic numerus Hæbraicus, qui ex vocabulo MELACH desumitur, nobis occultum salis mysterium cum vnitate & Trinitate diuina consonum ostendit, adeò vt non valdè mirum sit, cur sal ab antiquis sacrum & sanctum existimatum fuerit; nam veri Dei est imago. Et in sacris literis Iesu Christi

Sal Christi Symbolũ est.

Symbolum est, tum quod sapientiam significet, tum quod in omni sacrificio sal adhiberi in mādatis sit diuinis,

Salsa para qui grata paras dare munera nobis,
Munera salsa placent, nec nisi salsa placent.

Ideo sal dictum est apud Platonem θεοφιλὲς σῶμα. vnde apud sanctum Marcum 9. πάσα θυσία ἁλὶ ἁλιστήσεται omnis victima sit sale condita.

Id omne & alia quamplurima, quæ apud antiquos omnes tum Hæbreos, tum Ethnicos circunferuntur, salis mysterium sacrū testantur, nec quæ de sale seu Mercurio mundi diximus futilia esse & parui momenti, ad mysterium sacrum diuinæ essentiæ in vnitate & Trinitate, quadantenùs typis naturalibus, tanquam vmbris quibusdam demonstrandum.

SPIRITUS MUNDI DUM corpus sibi figulat, mysterium incarnati verbi quadantenùs repræsentat.

Capvt VI.



N confesso est, apud omnes mundum hunc vniuersum vitali spiritu esse plenum, si partes enim omnes vere viuentis naturam, & essentiam induant, vitalem spiritum *Mundus est vita plenus.*

admittere necesse est, quo partes ipsæ foueantur, nutriantur & vere viuant; nihil autem viuit, nutritur, fouetur & conseruatur, in esse vitæ, nisi per alimentum sibi simile. Quidquid autem est in natura inferiori vita fruens, corpus habet pugnantibus conflatum elementis; ergo pariter alimentum cuiuscumque rei viuentis, dissonis principijs adunatum erit, qualitatibusque contrarijs dotatum. Qua ratione ergo spiritus mundi simplex & vnitonus, variam ac dissonum rerum omnium harmoniam fouere, nutrire & conseruare poterit, secretum est magnũ & explicatu arduum. Artis diuinæ, mysterium sacrum, quod & cortice suo duro mystica adhuc celsiora & pretiosiora includit, nullis humanæ mentis conatibus perscrutabilia.

Spiritus mũdi etsi vnus qua ratione foueat & nutriat omnia.

Gordianum hunc nodum, si non omnino scindamus, saltem ita diluendo laxabimus. Spiritus mundi est vis totius naturæ, mundi vniuersi facultas, energia & robur, semen cœli, astrorum & elementorum omninm. Itaque non mirum est si semen istud nutriat, foueat & conseruet diuersas ac varias mundi partes, quia virtutes harum omnium partium in vno simplici semine coërcentur; seminis enim est virtutes & energias habere corporis cuius est semen, ideas idcirco omniformas & multiplices in sua forma inclusit Deus vt omnipotentiæ diuinæ aliquam præberet & exhiberet imaginem, quarum ope & auxilio, vt virtutibus ab vnica forma emanantibus varium ac dissonum varijs ac distinctis mũdi partibus præberet alimentum: nihilominus tamen antequam toto perfungatur officio, corpo-

ris elementalis induat formam, cœlique & astrorum non amittat lumen & speciem necesse est.

Itaque à primo mobili descendit, in quo fons eius & scaturigo perennis est, in centrum vsque terræ, vbi fontem caloris innati similis & eiusdem naturæ. Deus etiam collocauit, ad propaginem & prosapiam vniuersi, vt ex irriguo superiori, & irriguo inferiori cuncta germinarent, & ex his tanquam seminibus maris & fœminæ cũcta producerentur: in rerum siquidem productionibus cœlum masculi, elementa fœmellæ vices gerunt. Semen cœli inuisibile & astrale sola mentis ratione & conceptu perceptibile, itẽ & elementorum omnium inpalpabile est, hæc ambo semina coëant & iunguntur in centro terræ tanquam in matrice vbi coquntur & digeruntur, in verum & vnicum mundi embrion, quòd nos Mercurium & salem mundi dicimus; hæc autem ita fieri nos docet mundi harmonia, & indiuiduorum mixtorum cum eo symmetria: cernimus siquidem vniuscuiusque semen ex partibus omnibus totius corporis, in centrum cogi ibique coqui & digeri, in totius conseruationem & prosapiam. Quod si hoc inuiolabili lege obseruari videamus, ad conseruationem rerum singularum, quidni etiam fortiori iure eadem lege obseruari dicemus, ad conseruationem vniuersi. Ratum ergo sit & nulla dubij lance libratum semen mundi ex omnibus eius partibus, in eius delabi centrum ad conseruationem sui ipsius; non potest autem semen hoc conseruationis esse principium, quin substantiam nullo corruptionis motu obnoxium sibi vendicet, sal vero est in tota

Fons caloris innati in centro terræ, & in primo mobili reperitur.

Semen in centro latet ibique conseruatur.

Semen qua ratione, sit & ortus & vitæ principium.

rerum ſerie, quod tantum ſibi arroget poteſtatem. Salis etiam naturam & eſſentiam Mercurius mundi, ſiue ſemen ſapiet: Qua autem occulta vi & naturali architectonices facultate, corpus hoc ſibi aſſumere queat, iam nunc eſt docendum. Semen naturæ, ſiue mundi, eſt calidum innatum mundi, calidum autem innatum mundi, eſt principium motus. Nam omnis motus à calido innato habet primordium. Quod eſt ergo primum mobile in rerum natura, eſt fons & vera vnica & ſola illius innati caloris ſcaturigo. Vis ergo & facultas primi mobilis, eſt elementum primum ſeminis naturæ: hæc facultas & innata vis primi mobilis in firmamentum deſcendit firmamentique varias & multiplices energias & potentias ſuſcipit: illiſque permiſcetur & fit quid vnum potentia & energia multiplex & varium, ob varias quæ ſunt & multiplices in firmamento ſtellas, quæ varias ac multiplices habent virtutes, ex varijs eorum formis, & omnes permiſcentur cum facultate & virtute primi mobilis & fiunt quid vnum, quod illicò deſcendit in cœlum Saturni, Saturnique virtutes ſecum trahit, & deuehit ſecum in cœlum Iouis, Iouiſque energias ſurripit, & in cœlum Martis ſecum detrudit, Martiſque naturam induit, & hinc in cœlum ſolis deſcendit ibique tanquam in centro cœli, perfectè digeritur, coquitur & elaboratur, ad vitam viuentium. Vnde dicunt omnes Philoſophi ſolem patrem eſſe vitæ mundi, quod in ſua ſphæra, vitæ ſpiritus à primo mobili deſcendens tanquam in cœli centro elaboretur,

Sal qua ratione incorruptibile.

Sal mundi qua ratione multiplici & omnigena exornetur virtute.

Sol quare pater vitæ dicatur.

ſeminis enim eſt in centro perfici ; Sol autem centum eſt cœli , ideoque in ſole prænitet ſpiritus vitæ. A ſolis cœlo , in cœlum Veneris compellitur , ibique vires Veneris rapit , hinc fertur in Mercurij ſpheram , & Mercurij induit facultates , ab hac ſphæra , in lunæ ſphæram protenditur , virtutibuſque iunæ dotatur, ſic cœli totius ambitum percurrit , & percurrendo virtutes & energias cœleſtes ſecum trahit , vt hinc elementis permiſceatur , elementorumque virtutes ſecum etiam alliciat. Nam ab ſphæra lunæ , in ſphæram ignis deuoluitur , ibique igneos ſuſcipit characteres, hinc in Aërem : ab aëre in aquam , ab aqua in terram delabitur ibique vltimam & integram ſuſcipit perfectionem. Sic ſuperiorum & inferiorum virtutibus & energijs condecoratur , ſic cœlum geſtat humeris ſuis , ſic Atlas verus eſt , & tamen Enceladi vrgetur & premitur mole grandiori. Vniuerſa enim terra , tanquam proprio & peculiari ſuo conditur ſepulchro , non ad mortem ſui , ſed ad vitam rerum omnium : in hoc enim ſepulchro Mercurius noſter, poſtquam inferiori indutus eſt eſſentia , cum in ea vigeat mors & corruptio , mori etiam & corrumpi inferiorum more neceſſe eſt , ab hac morte & corruptione, ſurgit in vitam incorruptibilem ob naturam cœleſtem quā incorruptibilem ſecum gerit,cuius virtute & energia terreas illas & elementares radices à lethali mortis amurca vindicat eaſque ſupra cœleſti,hoc eſt,penetranti & ſubtili valde,

Semen mundi totum cœlum percurrit, & habet eius virtutes.

Semen mundi quare Atlas dicatur.

Semen mundi qua ratione moriatur.

donat corpore, vt vitali suo vndiquaque per totum terrarum orbem perfungantur officio, vnde illud peripateticum emergit axioma, à corruptione generatio sumit exordium: Nisi enim spiritus ille vitæ plenus corrumperetur, vim illam vitæ quam in se continet, exercere non posset, nec inde generationes excitare, neque etiam potest tantum pati, ob cœlestem & ætheream suam naturam, quin inferioris naturæ corpus sibi assumat vt potè, mortis & passionis fundamentum. Mortis ergo & passionis necessitas, in rebus inferioribus ad rerum seriem conseruandā filium hunc cœli, Ætheris & naturæ, corpus alterabile & morti obnoxium sibi compingere coëgit.

A corruptione quare generatio sumat exordiū.

Semen mundi quare corpus terreum & elementare induat.

Hæc omnia admiratu digna sunt, vt incarnati Verbi mysterium quod hominum & Angelorum omnium intelligendi potentias antecedit & exuperat, rudi aliquo depictum penicillo in natura ipsa conspiciamus interpretarique valeam⁹, illud sacrum, *Signatum est super nos vultus tui Domine*; non possumus enim in natura profundiori scalpro & acutiori cœlo, insculptum cernere, hoc incarnati Verbi mysterium, quàm in præsenti Mercurij nostri stēmate. Mercurius si quidem noster, quem & humidum primigenium dicimus, calidi innati vnigenitum, à summo cœlo descendit in terras vt in centro terræ virginis, corpus assumat elementare ad conseruationem rerum sublunarium, neque adhuc id posse, nisi patiatur vim mortis in tali corpore, & surgat iterum in nouum corpus priori subtilius & acutius. Quid illud aliud est, quàm nobis depingere sacræ & admirandæ & incomprehensibilis in-

Incarnati verbi symbolum naturale est Mercurius mundi.

carnationis diuinæ mysterium, ad restauratione generis humani. Nonne filius Dei, à patre luminum, & altiùs quàm à summo cœlo, venit in terras, & in vtero sacratissimæ virginis factus est homo, vt mortem obiret, vt de morte triumpharet surgeretque in vitam, cui postea nulla vnquam præualleret mors. Non possum ergo satis mirari hoc symbolum, quocirca adhuc subtiliter & minutim eius symmetriam ametram vt ita loquar perquiram.

Mercurij & Christi symbolum.

Filius Dei vnigenitus est in diuinis, Mercurius mundi vnigenitus in creatis; calidum enim innatum, humidum vnicum primigenium producit, sibi æquale & coæuum; Pater etiam æternus vnicum producit filium primogenitum sibi æqualem & coæuum. Filius Dei occupat totam æternitatem patri similis & æqualis. Mercurius item noster occupat totum naturæ creatæ spatium, similis & æqualis naturæ creatæ, nam est tota vis naturæ, ne quis in verba Mercurij hallucinetur: filius Dei naturam sibi assumit humanam, vt hæc cum diuina natura, in vnam exsurgant naturam Christi vnitate suppositi; sic illæ duæ naturæ, diuina nempe & humana, duas in Christo non constituunt naturas, sed vnicam tantum Christi naturam vnitate suppositi. Mercurius item suo modo naturam elementarem sibi assumit, vt vna cum cœlesti natura, in vnam exsurgat Mercurij substantiam vnitate suppositi; non enim in Mercurio natura cœlestis & natura elementaris duas constituunt naturas sed ambæ vnicam Mercurij componunt naturam.

Mercurius quid propriè sit.

Si filius Dei sacratissimo Virginis vtero clau-

ſus, non linquat dexteram patris; nec ſpatium æternitatis, nec vniuerſi mundi ambitum, quem omnino complet, ſed ſolum in vtero ſacro fit homo Deus, in quo ante Deus ſolus erat. Sic quadamtenùs Mercurius noſter dum corporis induit naturam non linquit ſocietatem inſeparabilem calidi innati patris ſui, ſeu naturæ, nec ſpatium vaſtum vniuerſi mundi, quod perpetuo & perenni ſuo pneupmate implet, ſed ſolum in centro ſalis, tanquam in vtero virginis terræ, inferiorum ſuſcipit naturam. Sal enim eſt terra virgo quæ numquam peperit, nec poſt partum ſuum virginitatis ſuæ floſculus & ſplendor contabeſcit, vt videre eſt myſtico eius ſymbolo, quod cum ſacratiſſima Maria Virgine contemplandum exhibere licet. Liceat modo, illibatæ Virginis intemeratam conceptionem, ſalis productioni comparare, vt ſymbolum incarnati verbi ex parte ſacratiſſimæ matris, in re naturali delineatum, etiam conſpicere valeamus.

Sacratiſſima Virginis cum ſale Symbolum.

Quemadmodum ſal mundi naturæ germen à calido innato Spiritus mundi producitur & in productione ſua, ab omni corruptione elementari vindicatur: Sic ſacratiſſima virgo ac præſtantiori multo modo, in quantùm mater Dei futura erat per gratiam peculiarem diuinam concepta & producta eſt abſque vlla peccati labe, & toto vitæ tempore, in illa puritate & gratiæ plenitudine conſeruata eſt, virtute Spiritus ſancti, quo perenniter obumbrata erat.

Sal vnde

Sal etiam toto durationis æuo, ab impuris

elementorum corruptionibus vindicatur; virtute ſpiritus mundi, ſeu vaporis humidi primigenij quod eſt conſeruationis naturalis fundamentum.

habeat conſeruandi virtutem.

Sal item vitam hanc labilem tribuit conſeruat & fouet, virtute & energia ſpiritus mundi quem è gremio ſuo perpetuo fonte, & indeſinenti riuulo educit, ad conſeruationem & vitam rerum naturalium. Sic & Virgo Maria vitam æternam tribuit, fouet & conſeruat, virtute, potentia & miſericordia IESV CHRISTI filij ſui, fidelibus omnibus Chriſtianis, qui gratiam hanc æternæ vitæ, ex IESV CHRISTO, deſumunt tanquam ex immenſo & inexhauſto, gratiarum pelago. Sal eſt mater filiaque ſimul ſpiritus mundi, qui mundum conſeruat; Virgo ſacratiſſima nonne mater & filia Dei habetur qui ſuo ſacratiſſimo ſpiritu, mundum hunc vniuerſum verè conſeruat & ſuſtinet, ne pereat; Mater Dei caſtiſſima eſt, virgo poſt partum æque vt ante partum, quod nullum aliud aduentitium ſemen ſacratiſſimo & intemerato ſuo vtero, admiſerit, præter virtutem Spiritus ſancti, qua in conceptione Chriſti obumbrata fuit: Sal item, vt ita loquar virgo dici poteſt ante partum & poſt partum ſpiritus mundi, quod nullum extraneum ſemen admittat, ad generationem filij ſui, præter virtutem & energiam illius ſpiritus, qui incubat illi, vt naturam induat elementarem & producat ſubſtantiam alimentitiam toti naturæ conuenientem, nonne Chriſtus itidem in ſacratiſſimo virginis vtero naturam induit humanam: vt hoſtia ſit ſancta,

Sal virgo qua ratione dici poſſit.

hostia immaculata, quæ immolari debet pro peccatis hominum, vt à morte surgant ipsi in vitam æternam. Filius salis est spiritus & corpus naturam cœlestem & elementarem participans in perfecta & absoluta vnitate vnius indiuidui: filius Mariæ Virginis est homo Deus naturam diuinam & humanam in se coërcens in perfecta & absoluta vnitate suppositi. Itaque negare non possumus quin mysteriorum sacrorum Icones, figuras & allegorias in natura ipsa quadamtenûs delineatas conspiciamus, quæ suo modo cōtribuunt & concurrunt fidei Christianæ stabiliendæ. Contemplare quæso, ô Ethnice, ô Hæretice, qui mysteria hæc orthodoxæ Ecclesiæ subsannas, ac parui pendis, etsi diuina penitus & supernaturalia sint, quàm altas tamen figuras in mysticis naturæ egerint, vt nobis sint auxilio ad hæc insperscrutabilia arcana explicanda. Perpende quæso, quantus sit & qualis erga nos amor diuinus, qui ad vnicam salutem nostram hæc supernaturalia miracula fecit, horumque sacrum sigillum naturæ creatæ impressit, vt omnes & per fidem, & hæc externa fidei nostræ statumina, vberrimi fructus eorum fierent participes; qui vero flocci facerent æternis plecterentur pœnis.

Mysteriorum sacratissimorum icones & figuræ in natura reperiuntur.

MORS SPIRITUS MUNDI, mortis Christi Symbolum esse potest.

CAPUT VII.



ACTÆ virtutis est Alchymia, in docendis & perquirendis naturę arcanis, quibus nobis claret spiritum mundi nihil generare ac producere posse, nisi moriatur postquam elementari indutus est natura, sortesque subijt rerum sublunarium; granum enim est & semen vitæ, quod terræ mandandum est, vt putrescat & moriatur, fructusque ferat, alioquin sterilescit & euanidum est. Hermes, Chymicorum omnium Archisophus & vere trismegistus, nihil aliud intonat cum tota Chymicorum turba, quã mortem spiritus seu Mercurij metallorum, secùs enim inutilis est nulliusque momenti in opere Physico, perfectionis culmen conscendere nequit, ad quod totis viribus anhelat, vt cruda & incocta metalla, & coquat & duret, in aurum vel argentum, ni morte sua vindicet se ab impura & fœculenta mixtionis & compositionis suæ crassitie, & ab ea surgat in corpus subtile & tenue valde penetrationis compos, cuius gratia & auxilio suæ perfectionis & coctionis dotes, metallis crudis & incoctis communicat, & sic metallicam metamorphosin perficit & ostendit.

Alchymia efficacissima est in perquirendis natura arcanis.

Nec solum in metallis hoc obseruari licet, sed & vniuerso mundo palam est, nihil generari posse absque corruptionis & mortis præuia falce; ea enim est quæ vitæ nouæ præbet fundamentum, & ex qua veteres resciſſi surculi, in nouos & recentes, germinant & pullulant vitæ concinnos & turiones. Alioquin Mercurius qui est totius generationis & corruptionis sedes & immota basis, calorem suum innatum rebus sublunaribus communicare non posset, quem à patre suo calido innato mundi accepit, ea lege & conditione vt quod est in rerum serie optimum omnibus naturæ partibus diffundatur. Quocirca à cœlo descendit in terram naturamque induit inferiorem, vt similis omnino fiat & æqualis inferioribus, eaque ratione nutriat, foueat & conseruet, inferiora omnia, quorum gratia rerum sublunarium subijt sortem.

Nihil generatur, absque præmia morte.

Spiritus mũdi qua ratione fiat similis rebus sublunaribus.

Ex his quis hominum adeò hebeti & obtuso ingenio habetur! vt non colligat mortem spiritus mundi, symbolum esse posse, mortis Christi, cum decreta fuerit & sancita lex diuina, redemptionis humani generis, per mortem vnigeniti filij Dei. A qua sola & vnica morte pendebat totius generis humani salus. Quid enim prodesset, incarnati Verbi mysterium, si verbum ipsum caro factum, mortis non subijsset tormentum, Prophetæ omnes, ante Christum natum id ipsum mordicùs asseuerabant passimque clamabant diuino non pythonico afflati numine Christum, filium Dei & hominis mori debere; & ipsemet Christus, dum viuere terrasque calcaret, fari solebat: Oportet Christum

Mortis Christi Symbolum.

Totius humani generis salus à morte pendet Christi.

pati & sic intrare in gloriam suam: destruite & diruite templum hoc, & ego tribus ipse diebus reædificabo illud maiori & pretiosiori quo nunc videtis ornamento decoratum, hoc est mactate corpus istud, quod veri templi omnium hominum vices gerit, verumque templum esse meretur. Et ego ipso tribus diebus pristinæ ac multo maiori nitori restituam, quod in eius resurrectione, & mortis triumpho factitatum viderunt multi, & credimus omnes.

Mori certe pro nobis decebat Christum: granum siquidem cadens in terram, nisi mortuum fuerit, ipsum solum manet, Christus verò granum frumenti verum & verissimum erat, quod Pater cœlestis, terræ mandauerat, vt germinaret fructumque ferret vberrimum humano generi summoperè expectandum. Ex eo grano surrexit & dimanauit sancta, sacra, Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, cuius solius vberrimos fructus cœlum capere posse gloriari debemus, vt pote, ex grano illo diuino, Christiano surgentes & pullulantes. Mori ergo decebat Christum, vt fruges illas immortales Ecclesiæ Romanæ nobis omnibus communicaret, quibus in nos redundat vita æterna, peccatorum omnium remissio, gloria, gratia & sanctificatio, quam solum ex morte Christi, Christum sequendo desumendum censemus & verè credimus. Sic corpus suum sacrum sanctum dat nobis in alimentum æternum gloriæ, gratiæ & sanctitatis. Sic ipsum Patri æterno pro nobis immolatum quotidiè ostendimus, vt super nos gratiam suam & benedictionem perennè infundat.

Mors Christi necessaria.

Vita sanctitas vnde desumenda sit.

Poterat ne Christus maiori amore, erga nos bene feriari, quàm postquam homo factus est, humanitatis nostræ luere pœnas & durissima eius soluere vincula, solutaque in pretiosum sui sanguinis fontem detergenda immergere. Poterat ne diuiniùs, at neque sanctius patrem æternũ suum in nos omnes iratum, placatum rursus in nos omnes & beneuolum constituere, quàm innocentis suæ piaculo mortis, quo solo resoluta sunt peccata hominum omnium, mors mortua tunc est, cum mortua vita fuit.

Qui sagacis mentis examine, spiritum mundi contemplatur, nulla ratione naturæ prodesse potest, quin visibile ac palpabile corpus sibi assumat, in eoque vim mortis patiatur, vt generationis & corruptionis basis & fundamentum in inferioribus haberi mereatur, eisque omnibus vitam impertire queat. Eodem mentis examine tanquam simili speculo conspiciet Deum, vt homines saluos faceret vitaque æterna donaret in gratiam cuius facti sunt, conuenientiori & diuiniori non posse via hac perducere, tot & tantos perditos nebulones, quàm incarnati Verbi mysterio: Decuit enim creatorem, qui homines sibi similes fecerat, simili nutrire, fouere & conseruare alimento, & ita hominem fieri, vt verissimam & verè viuam hominis speciem sibi vendicaret, essetque fulcrum firmissimumque stabilimentum suæ fragilitatis labantisque naturæ. Animam viuentem postquam impertijt homini Deus, ex suo fonte deprompta nonne eodem fonte irriganda erat, ne in limo terræ, quo inclusa erat marcesceret, & sic in altum numquam surgeret,

Quid est opus homini, vt fructus ferat,

surgeret, nec domino suo fruges daret vllas, sed in æternum sterilesceret, limo permixtu terræ; irriganda ergo erat anima humana simili spiritu, quo in corpus suum afflata erat, vt viueret, germinaret & integra & illæsa permaneret. Hæc autem præstare non poterat, quin Deus ipse conditor suus homo fieret & diuino penitus & inscrutabili arcano labentem suam naturam & caducam diuino suo alimento, perenniter fulciret & restauraret: Omnia siquidem debent nutriri & foueri ab eodem fonte, ex quo sumpserunt originem, ductus est homo, ex fonte diuino; pari igitur fonte irrigandus & fouendus, vt viuat & germinet & pullulet Domino suo fructus diuinos & immortales, vt immortalis est ipse. At morti per peccatum obnoxius factus, diuini erat operis & conditoris non sui, ab illo mortis se emergere pelago.

Homo ex se ipso non potest à mortis se extricare barathro.

Vt in generatione & corruptione rerum factitari quotidie cernimus, quæ corruptionis subeũt sortem, non possunt ab eius se extricare barathro, & in nouam & recentem se extollere generationem, nisi per materiam primam seu Mercurium, qui in centro eorum latet immotus & incorruptibilis, & à quo sumpserunt originem, quique est generationis basis & fundamentum, & annihilationis impedimentum. Pari item via & multo quidem certiori non poterat homo ab inextricabilibus peccati & mortis suæ ambagibus se expedire, & in nouam & immortalem se sublimare vitam, nisi per Deum sui ipsius opificẽ, qui vitæ totius est vera basis & fundamentũ.

Poterat quidem Deus ex pura & absoluta vo-

D

luntate hæc sacra permutare mysteria, & ad eundem collimare scopum sagittis alijs & diuersis, quas ex pharetra sapientiæ æternæ suæ depromere potuisset: Nihilominus cum alias non sequutus sit semitas, hæc sanctior commodior & decentior diuinæ maiestati, omnibus alijs censenda est, cum hanc sequutus sit Christus.

Homines ab ortu immortales.

Certo certiùs est Deum nobis immortalem & perennem, innuptijsse vitam, quam nos soli in caducam & malè materiatam sortem, serpẽtis astutia permutauimus. Misericors tamen Deus & summè bonus, amore quàm maximo in nos effusus non tulit mortis illius ineluctabili cœno nos ampliùs volutari, sed pretiosi sui sanguinis fonte lotos, pristin o nitori nos restituit. Sic nos iterũ & secunda vice reformauit & afflatu iterum diuino suo gratiam spirauit, qua certo certius immortalitatem verè immortalem consequimur, quam antè primus parens noster protoplastus, fraudulenta serpentis eloquentia sibi & nobis surripuerat, & verè caducam & mortalem fecerat. Mortale & caducum dico quidquid vitæ fõtis scaturiginem petere non potest: Deum autẽ solam veræ vitæ fontis scaturiginem petere omnino nobis erat impossibile. Ergo etiam immortali & æterna frui vita cum hæc diuinæ prorsus sit originis. Postquam autem Verbum caro factum est & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam velut vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate, tunc apperti sunt cœli, & gratia eius veritas & vita diffusa est super nos, quibus cœlestibus & verè diuinis vestibus induti, cœlum intrepidè petere possumus tanquã filij

Mortale & caducũ quid vere dicatur.

Solus Christus nobis cœlum apperuit.

cœlestis prosapiæ, cum & Christi feramus imaginem, cuius vestigijs inhærentes non solũ quæ cœli, sed & quæ Dei sunt nobis competunt; per Christum enim pater æternus in veros & legitimos nos accersiuit filios & alumnos.


Itaque necessitas redimendæ lapsæ humanitatis arguit etiam incarnati Verbi mysteriũ passionem & mortem cum ab æterno ita sancitum fuerit, huiusque sacræ sanctionis rudimenta quædã explicantur, ex spiritu mundi, qui est istud semẽ vitæ à natura cœlitùs demissum ad conseruanda, nutrienda fouendaque ea omnia quæ producit & parit ipsa; hic autem spiritus non potest tanto perfungi officio, quin alimẽti veri induat formas ac proinde alumnorum & filiorũ suorum subeat sortes, & sic sumat visibile & palpabile corpus, in quo mortis sentiat stimulos, vt inde surgat in cibum perennem & indefinentem toti naturæ, alioquin natura caduca rueret in nihilum, ni perenni & incorruptibili illo fulciretur alimento, quo vetera sua, & semiruta monumenta restaurat; sic & nos verè viuere non possumus, & ad perennem & verè immortalem deuehi & extolli vitam, quin vita illa verè vitalis cœlitùs demissa viuentium subeat sortem, & fiat caro in qua mortis torcularia calcet & de morte triumphet, vt triumphi sui participes facti, per gratiam suam & misericordiam simus & cœli & bonorum suorũ omnium compotes, vt clariùs videbitur inferiùs dum sacratissimæ Eucharistiæ mysteria tractabimus & eius Symbolum naturale inuestigabimus.

Necessitas redimendæ humanitatis, expostulat incarnati verbi mysterium.

Homines vita cœlesti & spirituali frui non possunt quin gratia Christi perfundantur.

Resurrectio Spiritus mundi, Christi Resurrectionem, allegoricè aliquatenùs repræsentat.

CAPVT VIII.



ATIS nobis claruit superioribus argumentis generationem rerum omnium & conseruationem, mortem spiritus mundi postulare. Ex hàc rerum sublunarium serie & ordine ducti sumus veluti via quadam, ad colligendam mortis Christi necessitatem, ex decreto diuino & dispositione æternæ sapientiæ, ad redemptionem hominum. Nunc verò perquirendum est si tantum valeat humani ingenij robur, quonam diuino sapientiæ æternæ arcano, Christi morti iussit vitæ secretum æternæ,& qua ratione itidem spiritus mundi mors, rerum sublunarium omnium vitam, nutritionem & conseruationem arguat; sic mors & vita iuxtà se posita contrariorum propemodum magis elucescunt, & in ipsa morte verè latitat vitæ fons & origo, vndenam istud naturæ mirum? Mortem quam dicimus annihilationem mixti morientis non facimus, at potius purificationem, subtilitatem, tenuitatem corporis, vt in morte vetus deponat corpus nouumque sumat vetere tenuius, & aliqua ratione spiritui suo æquale & simile: Morte siquidem excrementa crassiora se-

Mors qua ratione sit principium vitæ.

gregantur & quod elementorum vappam & amurcam ſapit forâs truditur per naturæ Archæū, & quod remanet purum & nitidum, cui paruus connectitur ſpiritus, & fit nouum mixtum priori nitidius & pulchrius, & ſic renouatur natura & veteres deponit exuuias, & æternitatis ſpolia ampla refert. Sic mors non eſt ſibi detrimento ſed ornamento, ſic hominum mors eſt via ad vitam, anteriori multo fœliciorem & iucundiorem: Prima enim vita hominis caduca & labilis, longa & lenta mors eſt, mortis ſolum nomen vltimo vitæ termino imponimus cum & reliqua vitæ ante actæ momenta, mortis eiuſdem inſignia præ ſe ferant. Principium vitæ æquè mors eſt ac vltimus vitæ terminus. Sunt enim principium & finis in motu eiuſdem eſſentiæ & qualitatis, quod elegantiſſimè & Phyſice notauit Poëta,

Mors non nocet, ſed potius prodeſt.

Naſcentes morimur finiſque ab Origine pendet.

Itaque prudentiûs eloqui poſſumus dum morimur mortis nos vltimum obire terminum, ac eius abſoluere penſum, vt vitæ æternæ telam exordiamur, quàm vltimum vitæ huius obire diem. Certiſſimum ergo eſt, mortis noſtræ cineribus ineſſe vitam æternam, quam detegere non poſſumus & in propatulo exponere vi mortis ſentiamus ſtimulos. Alchymia id ſole clarius oſtendit & patefecit, in deſtructione mixtorum naturalium, quæ eſt veluti mors eorum. Nam calidum innatum & humidum primigenium eorum, quæ ſunt formas & vitæ ſedes, ſeparantur ab omnibus ſuis heterogeneis excrementis & fæculentis ſpurcitijs vnà cum ſicco radicali,

Morti ineſt vita.

& hæc tria iterum pura & nitida, nouo vinculo connectuntur & ſurgunt in nouum mixtum, priori multò nobilius ac prę ſtantius neſciens occaſum & mortem.

Res omnes quare morti obnoxiæ ſint.

Si in prima rerum vnitate & vinculo, quo in principio ſui ortus res vinciuntur partes omnes ab omni impuritate vindicatæ fuiſſent, & puræ & nitidæ factæ connexæ fuiſſent, non opus eſſet ſecunda iſta vnitate & vinculo nouo de quo iam eſt ſermo, vt res ſublunares perenniori durarent æuo. At quia in primo illo rerum connexu, partes omnes connectendæ, excrementis ſcatent multis, quibus verus nexus & indiſſolubile vinculum præpeditur, ideò mors & ſeparatio partium connexarum ſummè neceſſaria eſt, vt ab ipſo ſeparante, nitidi & puri fiat electio, & ſic in puro ſuo quieſcat & gaudeat adepto fine. Natura totis viribus ad hunc vltimum finem anhelat adipiſcendum, vt tandem quieſcat à laboribns ſuis, & gaudeat pace æterna; ideò tot generationes & mortes ex centro ſui ipſius educit, vt tandem poſſit ab impuritatibus & ſpurcitijs ſe expedire quas protoplaſti lapſus intimis ſuis viſceribus immiſcuit: At in vanum laborat ipſa, vltimum illum finem & perfectionis ſuæ culmen ad quod tendit, non conſequetur, niſi creator ſuus & rerum omnium protoarchæus vltimas adhibeat manus: hic erit ille ſummus Alchymiſta, qui purum ab impuro ſeparandum veniet, qui calcinatione vniuerſali omnia tradet igni, vt omnia vltima morte moriantur, & in ea ſeparentur abſolutè & perfectiſſimè excrementa, quæ reijcientur in abyſſum æterni ignis.

In poſtremis vitæ diebus quid facturus eſt Deus.

Purum autem deferetur in abyssum æternæ gloriæ, fœlicitatis & vitæ; sic renouabitur tota natura per mortem, nec erit quicquam in toto mundo quin renouationis illius sentiat energiam & necessitatem, Deus ipse primus hanc legem sanciuit, legisque suæ in Christo passus est conditionem, & amaritudinem, non vt renouaretur ipse, quia integer vitæ, scelerisque purus omnino credendus est, sed vt alijs omnibus renouationis & restaurationis præberet viam tutam & certam, cum in Christo moriendum sit si immerso renouationis illius velimus frui thesauro. Protoplastus adam innocens, candidus nulloque vitio corruptus disruptis sanctæ legis vinculis, mortem sibi asciuit æternam, mortisque assectas omnes fecit homines; itaque miser factus, calamitosus & infœlix omni malorum aceruo prægrauatus, non poterat ab immenso illo miseriarum se emergere pelago, nisi per hominem innocentem, candidum, integrum vitæ scelerisque purum. Talem autem reperiri in hominum genesi non arduum modò erat, sed omnino impossibile; creatoris fuit ergo solius, alium dare hominẽ non ex parentum maculato semine oriundum, sed ex sapientia patris æterni creatoris, & sacræ & intemeratæ Virginis sanguine, Spiritus sancti cooperante virtute desumptum, qui solus homo Deus iuris diuini inclusus angustijs, omnia quæ summi iuris erant patienda pertulit, vt piaculo tanto tantum persolueret scelus. Sic in eius morte & renouatione, renouata sunt omnia, & pristino restituta nitori. Amor adeò sũmus & celsus, vt amãdi oẽs vincat artes, eo enim visũ est

In die iudicij tota renouabitur natura.

Quare Adã non poterat se à peccato emergere.

iudicem rei pœnas in se ipsum retorquere, criminis vltorem criminis vindictam sibi ipsi asciscere, Deum pati pro inimicis suis & hostibus vt inimicos suos & hostes, sibi conciliet indissolubili illo amoris sui vinculo, quo solo morte, passus est & vicit; vicit inquam quia mors illius profutura nobis nullatenùs erat, nisi mortem mortis victoria & triumphus subsequutus fuisset: Postquam enim sustulit omnia tormentorum genera plusquam vllus hominum ferri potis est, ad mortem & sepulchrum vsque, nonne decebat illum, se Deum ostendere, se creatorem & redemptorem hominum patefacere, se piaculum verum esse & victimam immaculatam quam expectabat & postulabat diuina iustitia ad expiandum totius humanæ naturæ crimen & scelus; quo autem maiori miraculi titulo & gloria id assequi poterat, quam resurrectionis triũpho. A morte enim virtute sua propria, se ipsum emergens & partes integrantes personæ suæ, indissolubili nexu, iterum annectens; Deum esse testatus est, & creatorem & redemptorem nostrum, in quo si viuamus & moriamur, in eo etiã resurgemus æternæ vitæ participes, & de morte triumphantes; fœlicem hunc exitum & euentum fides christiana nobis expectandũm credit, & Alchymia in rebus sublunaribus & præcipuè in Mercurio mundi symbolum tanti mysterij nobis spectandum exhibet: hic siquidem Mercurius protoarcheum suum imitari hic in re videtur quod, vti diximus, corpus visibile & palpabile sumat in centro terræ virgineæ, vt & filius Dei in vteró sacro, intemeratæ virginis, corpo-

Resurrectio Christi omnimodè necessaria ad hominum salutem.

Cum Christo moriendum si in eo resurgere cupiamus.

Symbolum naturale Christi & Mercurij.

ris humani induit & assumpsit essentiam : Spiritus mundi mortis patitur obelos in corporibus mixtorum, quæ ipse sibi figulauit, vt & filiùs Dei mortis subijt tormentum in corpore, quod & ipse sibi in vtero sacro impollutæ matris suæ conflauerat: Spiritus mundi naturali sua via & ordine triumphat ex morte, quæ calidum innatum & humidum primigenium quod est veluti anima & vita illius, à sicco radicali separauerat inimicitiam inter ipsa fecerat; at in morte pace tandem inita, iterum hæc tria surgunt in mixtum priori subtiliùs & nobiliùs, vt toti & vniuersæ naturæ sit alimento perenni & indesinenti, IESVS CHRISTVS certo certius, mortuam mortem captiuam duxit in triumphum, currui suæ resurrectionis veræ aureo, alligatam: corpúsque vere gloriosum, incorruptibile, immortale, & vbicumque locorum penetrabile assumpsit, vt homines amasios suos, perenni sua vita spirituali & æterna foueat, & nutriat, & in pristinum reducat nitorem, primamque illis restauret gratiam. Ex resurrectione spiritus mundi, in nos descendunt cœlestes stellatum & planetarum influxus; ex Christi resurrectione, in nos permeant cœlestes veri Patris æterni influxus & gratiæ diuinæ, sine quibus & nos ipsi, & totus corrueret mundus: Spiritus mundi sic à natura præparatus, vniuersis rerum mixtis commoda alimenta ministrat, quod saucium est sanat, quod mancum, fractum, mutilum & lacerum est, id interno suo alimento resarcit, se ipsum in escam præbens. Iesus Christus mortalia passus & victrice morte resurgens omnibus humani generis in-

diuiduis commoda alimenta miniſtrat,quod ſaucium imò mortuum nobis ineſt, id prætioſo ſanguine reſtaurat, vitæque donat æternæ, ſe ipſum in panem exhibens quotidianum, quo gratia, per mortem ſuam nobis adepta, diuinitùs foueatur, & conſeruetur.

Panis Chriſti ſeu ſacra Euchariſtia eſt Chriſtianorũ vera vita.

Spiritus mundi Chymicè præparatus, corpora metallica cruda, impura & imperfecta coquit, purgat & perficit in aurum vel argentum: IESVS CHRISTVS diuina penitùs arte nobis præparatus, nos tanto vitio & corruptela deprauatos & pollutos, vt nihil fœtidius, & imperfectius reperiri queat, non in aurum & argentum & gemmas quæ nihil aliud quam terrã ſapiunt, ſed in homines diuinos, immortales, ſole ipſo nitidiores perficit & permutat. Spiritus mundi, quod ſui eſt ſimile ſibi vendicat & aſciſcit. IESVS CHRISTVS quod ſui eſt ſecum trahit & perducit, Spiritus mundi à morbis nos liberat vitamque ſalutis plenam nobis elargitur, Chriſtus à peccatis omnibus, morbis peioribus nos exonerat, vitamque verè vitalemque vt potè immortalem nobis impertitur.

His itaque æqua mentis lance trutinatis Symbolum aut ſpectandum & mirabile, in natura reperimus vt in Chriſtum amore rapiamur, qui tanto & adeò ſingulari in nos amore affectus fuerit, vt quæ pro nobis paſſus ſit, non tantum fide credenda voluerit,ſed & huius myſterij depictas imagines, in natura ipſa collocauerit omnibus contemplandas.

Ascensio naturalis Spiritus mundi cœlum versùs & fontem suum: Christi Ascensionis Patrem Versus & verum suum fontem, figuram quandam exhibet.

CAPVT IX.



OCET nos Hermes Chymicorum pater cum reliqua Chymicorũ omnium turba, Spiritum mundi à primo mobili in centrum terræ vsque descendere ibique corpus visibile & palpabile assumere in eoque corpore mori modo quo granum frumenti in terram proiectum moritur, ne sterilescat, vt in cœlum iterum ascendat assumpto corpore suo subtilissimo & tenuissimo, per mortem illam facto, ad penetrandas vniuersas mundi partes, sua tenuitate, vt ea via deferat vbicumque vitam toti naturæ necessariam: Nam si in sua cœlesti & superelementari natura permaneret sua tenuitate vix posset mixta elementaria nutrire & alere; ea enim ipsa elementari & simili egent cibo, vt persistant, nec etiam si crassa & dura scateret essentia, partes omnes corporis & imperceptibiles meatus adire posset,

Ascensionis Christi Symbolum.

vt illis eſſet vitæ adiumento & fulcro; decet ergo ſpiritum hunc vitæ & eſſentiæ baiulum ſpiritum eſſe & corpus, hoc eſt tenuiſſimam & ſubtiliſſimam habere corporalem eſſentiam vt officio ſuo perfungi poſſit. Id claret in animantibus cunctis, in quibus antequam alimentum ſubeat vltimam ſui ipſius præparationem ſubtiliſſimam induit eſſentiam, & craſſas vtereſque ſuas primas deponit exuuias; primo ventriculus qualecumque alimentum ipſi inditum, præparat in chylum, chylus à venis meſeraicis & ab hepate permutatur in ſanguinem, ſanguis à corde in ſpiritum vitalem, hic à cerebro in ſpiritum faceſſit animalem, qui adeò tenuis eſt & ſubtilis, vt quamcumque oculorum aciem fallat & fugiat, tantùmque diſtat à primo alimento, quod à ventriculo in chylum commutatum eſt, quantùm cœlum diſtat à terrâ. Itaque videmus in tota & vniuerſa natura, vt & in ſingulis eius partibus, ſpiritum mundi vitæ baiulum & eſſentiæ miniſtrum è cœlo deſcendere in terram, & è terra in cœlum iterum conſcendere, & è cœlo iterum in terras deuoluere vt naturam commõſtret vtramque cuius eſt compos, quaque potis eſt, totam conſeruare naturam quod voce altiſſima intonat veriſſimus Hermes. Aſcendit à terra in cœlum, iterumque deſcendit in terras & ſuſcipit vim ſuperiorum & inferiorum, ad perpetranda miracula rei vnius, hoc eſt ad vniuerſam naturam quæ vbiuis locorum vna eſt, nutriendam, fouendam & conſeruandam. Quod ſi hæc interpretentur, de opere illo Hermetico, myſtico & arcano, nihilominus cum & hoc opus re-

Spiritus mũdi ex vtraque natura cœleſti & elementari eſt conflatus.

referat Symbolum totius mundi, ipso Hermete teste, nos & ad vniuersam naturam retorquendo, perperàm non interpretamur tantum Philosophum.

Deus pater & creator omnium diuina sua sapientia, hæc ita fieri voluit, in conseruandis & fouendis rebus sublunaribus & sancta & inuiolata lege sanciuit quæ præteriri non potest. Sic & erga nos misericordia pietate summa, & singulari amore ductus, Christum suum, vnigenitum filium suum nobis dedit tanquam verum spiritum mundi intellectualis, voluitque ipsum concipi de Spiritu sancto, in vtero sacro Virginis intemeratæ, eumque nasci & hominem verum fieri, mori, sepeliri, à morte suscitari, & ad cœlum & dexteram suam, vnde venerat, iterum conscendi, vt hinc veram vitam intellectualem tanquam ex innato & primigenio vitæ fonte nobis impertiat gratias cœlestes, & dona patris æterni nobis communicet, quæ omnia peccatis nostris inconcessa & illibata nobis erant. At Christi immensis meritis, concessa nobis sunt & inexhausti eorum fontes apperti, ibi coram patre mediator æternus est, sacrificium & sacrificator, qui hostiam immaculatam, hoc est personam suam Trinitati sacræ semper offert, in piaculum scelerum nostrorum, quæ vitam illam nostram intellectualem, quâ in æternum duraturos, in ipso fœlicitatis centro fecerat ipse Deus, ita contaminant & labefactant, vt pro nihilo coram Deo habenda sit, temerata peccatis, vi Christi sanguine, piaretur, qui nobis suffusus illam restituit integram, & patri suo miserandam dispo-

Christum nobis dedit Deus, vt per ipsum solum in æternum viuamus.

Mixta quid à corruptione vindicet.

ſuit, cuius myſterij notam & ſigillum impreſſum in naturalibus cernimus. Ea ſi quidem dum corrumpuntur, in perpetuo corruptionis ſuæ volutabro perſiſterent, ni ſpiritus mundi de ſuper caderet, qui corruptionis illius ſordes, diſſoluendo & abluendo nouum ex corrupto dat germen mirum naturæ ſpectaculum & ornamentum; ſic & nos dum peccatorum ſordibus inuoluimur, nullum æternæ vitæ fructum daremus niſi Dominus Deus noſter Ieſus Chriſtus deſuper veniret, qui peccatorum noſtrorum omnium ſordes expiando, ſuſcitat in nobis illud germen æternæ vitæ, quo in ſanctos euadimus viros, Chriſtiana ſemper egentes irrigatione, quod ſequenti capite, dilucidatum clariùs legere licebit.

Fideles Chriſtiana ſemper egent irrigatione vt in fidelitate perſiſtant.

Spiritus mundi è cælo deſcendens in terras ad vitam rerum ſublunarium, Symbolum eſt quoddam Chriſti deſcendentis in ſacram Euchariſtiam ad vitam fidelium omnium.

CAPVT X.

Natura eget ſpiritu vita.



IDIMVS ſuperioribus capitibus naturam ad rerum omnium nutritionem & conſeruationem egere ſpiritu vitæ, qui à creatore ſummo Deo vbicumque diffuſus eſt, vt vitam vbiuis locorũ

diffusam foueat & nutriat, irritando & suscitando omnes vitæ facultates, alioquin vniuersa sterilescerent, & veteri suo tegumento squalido prorsùs interclusa, perirent: mirabili autem methodo & via plusquam stupenda, tanto perfungitur officio, descendit è cœlo in terras, & ex terris iterum conscendit cœlos, iterumque terras petit, & sic fit alimentum verum proprium cuicumque rei.

In maximo omnium operum Hermetico opere, id clarius elucescit; ibi enim loci, spiritus metallicus cœlum vasis quo clauditur coscẽdit, iterumque fundum petit, terram versùs metallicam, quam tanta donat virtute & energia, vt reliqua imperfecta metalla, cruda & incocta perficiat, coquat & duret in aurum vel argentum, adeò purum & nitidum vt omnimodam metallicam scabritiem prorsùs à se eliminet, nec vlla corruptione teneatur. Sic etiam vitrum & christallum lapidesque omnes ignobiles & triuiales in veros transmutat adamantes & carbunculos.

Viderunt quamplurimi supremæ & infimæ sortis homines sciens loquor, puluerem rubicundissimum, lumine & splendore, rubinis & carbunculis prænitentem melle & saccharo dulciorem, moscho & ambaro suauiorem & fragrantiorem, vitali igniculo turgentem, qui plumbum, ferrum & quoduis aliud metallum igne liquatum sua liquatione breuissimo temporis spatio, in verissimum aurum, ipso naturali auro præstantiùs & nitidiùs commutabat. Floret adhuc apud florentiam in cimeliarchio principis tantæ & præclaræ inauditæ metamorphoseos specimẽ admirãdum

Lapidem Philosophorũ viderunt quamplurimi homines.

nisi spectare licet ferreum clauum media sui parte, in purum legitimumque aurum conuersum, oleo quodam Chymico in quod immersa fuerit pars illa claui.

Lapis Physicus ex quo componatur.

Fuit autem istud secretum opus, ex spiritus mundi metallici essentia conflatum; hic si quidem spiritus, postquam duris & crassis suis excrementis terreis, se perfectè emungere potest, idque per mortem & corruptionem suam tandē nouum sibi compatat corpus subtile & tenue valde, spiritibus turgens, quibus cœlum vasis quo clauditur scandit; iterumque præcipitatur in terram, fixam claram & mundam, cuius fusione & liquatione, metalla, impuræ propaginis & leprosæ sortis absolutè mundantur, aurique & argenti subeunt nitorem & splendorem, cuius perfectionis culmen nunquam attigissent, at vilissimæ metallicæ rubiginis labe perpetua contabuissent, ni spiritus ille mundi metallorum omnium pater & primus opifex metallicam induens formam, illas corruptionis sordes, suo impolluto humore detersisset.

Ex transmutatione metallica colligitur & sanctificatio hominum.

Mirum certe artis Chymicæ spectaculum, quo speculari imò contemplari licet hominum omnium miserandam sortem, qui numquam fœlicitatis supremæ culmen pertingere possunt, cuius tamen potiundæ gratia nati sunt omnes, ni ipsemet creator Deus hominum omnium verus pater & primus opifex, humanam induat naturam, mortem patiatur, resurgat, cœlumque petat gloriæ suæ, ex quo iterum descendat in terras, nec tamen cœlos linquens, virtute diuina, & arcano imperscrutabili in sacro Eucharistiæ Sacramento

cramento fiat nobis alimentum diuinum transmutata verè panis & vini substantia in verum & legitimum reale corpus suum, saluis tantum panis vinique speciebus sub quibus, verum & cœleste nobis elixit, quo delibuti omnes ab omnibus vindicamur peccatorum spurcitijs & sic electorum numero conscribimur, veterem deponimus Adamum, nouique Christi essentia protecti, hostes omnes debellamus, mortem fugamus, infernum claudimus, cœlumque nobis in æternum apperimus, & ipsius Dei consortes facti, hymnum illi canimus æternæ laudis & gloriæ.

Hæc transmutatio nostri quam Christus Iesus noster suo prætioso corpore nobis dato peragit, miraculosa omnino est, & diuinæ artis opus, aliamque antecellit infinitis parasangis, quam de plumbo aut de ferro in aurum conuerso retulimus. Nihilominus cum his ambabus transmutationibus, in sit aliquid depictum & insculptum, cuius auxilio licet Christiano Philosopho, absque eiusdem fidei Christianæ labe, has inter se comparare, vt percipiant omnes misericordiã & gratiam diuinam vbique adeò diffusam esse, vt mysteriorum suorum insperscrutabilia arcana, depingat, & figuret quoquo terrarum, vt tanti beneficij memores esse valeamus. Vidi ego sculptam plantæ admirabilis iconem, quæ nonnulla sacratissimæ Passionis Christi stemmata perfectissimè insculpta gerebat: caulis eius follijs lanceatis viuo sanguine variegatis, terra surgebat, flos deinde extuberabat exquisitissimus aureo radians colore, in cuius centro, co-

Planta stemmata passionis depicta gestans.

rona ſpinea, claui nigro colore veluti ferreo delibuti viſebantur, veſtis & toga tanquam ſacrum vexillum hinc prominet, & hæc omnia columnæ albiſſimæ in vmbilico floris poſitæ, infinitis ſanguinis viuidi guttulis conſperſæ ſuffultæ, omnibus in propatulo erant. Sunt & multi qui iudicis terris, & iam in quibuſdam alijs multis Europæ partibus, in hortulis quorumdam hanc mirabilem plantam viridem & ſolo adhærentem conſpexerunt florentem, quæ ſacratiſſima redemptionis noſtræ ſtemmata perfectiſſimè delineata omnibus exhibet. Vide iam & contemplare hæreticè vt non ſolum Deus in penetralibus & intimis naturæ ſecretis, ſed etiam in propatulis naturæ plantis & floribus, hæc ſua myſteria pingit, quæ tu intimo corde negas adoranda, & nauci pendis: hæc omnia coram Deo, iudicis accuſatoris vices agent, teque pudore quammaximo confundent, hac myſteria ſalutis noſtræ vnica ſubſellia, nec domi nec in corde habes depicta, & tamen vbique terrarum delineata cõſpiciuntur ad tuam confuſionem & opprobriũ.

Myſteria ſacra paſſionis vbique depicta ſunt.

Hæc omnia etiam prædicta myſteria quotquot ſunt à Chriſto celebrata fuere, hac vnica potiſſimum ratione, vt in Eccleſia ſua Euchariſtiam ſacram deponeret, vt reliqua omnia in iſta ſola nobis eſſent vtilitati & ſaluti. Quod in Euangelio Chriſtus firmis & clariſſimis verbis aſſeuerat: qui non comederit corpus meum & biberit meum ſanguinem non habebit partem mecum; Quaſi diceret, veni in mundum naturam ſerui induens, paſſus ſum crucem, mortem, ſepulturã, reſurrexi à mortuis, cœlos aſcendi, ſedẽs ad dexteram Patris æterni. At hæc omnia, vt iterum

Omnia redemptionis myſteria ad Euchariſtiã conſtituendã contendunt & vergunt.

descendam in terras, dexteram patris nec cœlos inde linquens ad Eucharistiam meis affeclis relinquendam, quæ verum est corpus meum reale & integrum quod verissimum erit peccantibus & impuris hominibus tanquam elixit, permutans eos in pios sanctos & fideles; at id non erit via & methodo communi & triuiali, sed ego ipse Christus vobis ero alimento, & cibo, aut veluti lapidi Physico, impura transmutanti metalla, qui re ipsa, ipsemet impura intrat metalla, sic & ego impura subibo corpora vestra, vt ea mundem & expiem expiatione vltima, sine qua habere partem mecum nullius est hominum. Quare asseueranter vobis prædico, qui non comederit reale & verum corpus meum, & biberit meum sanguinẽ impurissima sordescet macula & labe, qua partẽ mecum habere non poterit. Candidus enim ego & nitidus, candida & nitida sequor, & illa solum mihi coniungi possunt, est enim rerum similium cæcus & occultus amor: Ob quam rem Sacramentum Eucharistiæ omnium saluti quam maximè necessarium credimus, quo solo vita spiritualis nostra illæsa & integra conseruatur, & quo quotidiana miracula patrantur in Eccl. Romana.

Qui Eucharistiam sacrã non comedit, saluus esse nõ poterit.

Non enim sola est metempsychosis sed & simul metempsomachosis, & transubstantiatio panis & vini saluis eorum speciebus & formis externis, in verum corpus Christi, cum suis omnibus speciebus & formis, quæ occultantur & obteguntur speciebus vini & panis. Hæc est illa miraculosa & verè stupenda transmutatio, diuinũ opus, diuina Alchymia, qua Deus fit homo, & qua Deus homo, se præbet omnibus hominibus in alimẽtum

Eucharistia Sacramētum est omnium mirabilius.

verum, vt nos in sanctos & pios & quasi Deos permutet, hoc est mirabile mirabilium omnium mirum, quo Christus Ecclesiam Romanā suam declarauit. Præclarè admodum nihilominus elucet eius sapientia & summa bonitas, quod dederit naturalia quædam, que nobis horum mysteriorum symbolis & figuris esse possunt, quibus prælibare possumus multa & præclara ad eorū explicationem; Sic spiritus mundi è cœlis in terras deuoluens ad vitam & conseruationem rerum naturalium nobis est subsellio, vt mirabilem & inenarrabilem Christi descensionem in Sacramentum Eucharistiæ, vt vitam spiritualem omnium hominum contemplari valeamus adeò necessariam & perutilem, vt eius defectu & inopia Ecclesia Dei consors dici non possit, nec tanto dignari nomine, nec modo Ecclesia dici possit, cum ea semper habere mereatur & debeat secum religionem & cultum veri Dei cō-nexum; cultus autem veri Dei, sacrificium expostulat Deo condignum & peccatis hominum expiandis idoneum & aptum: quale autem sacrificium Deo condignius & hominum peccatis diluendis efficacius, Deo homine ipso inueniri posset. Huius Sacramenti necessitatem apud Ecclesiam, cancellatim & figuratim nobis commonstrat necessitas spiritus mundi descensus in terras, ad conseruationem rerum sublunarium, eo enim indiuidua quæque tendunt ad perfectionem qua nata sunt; sumunt enim omnia ex eo originem & primordium, & tali & simili perpetua & perenni irrigantur fonte, vt in suum perdurent æuum, alioquin in se ipsa corrueret

Non datur Ecclesia Dei si Eucharistia tollas.

Eucharistia sacra necessitas vndenam ex natura desumi possit.

collapſa naturæ molles; ſic & Chriſtus multo quidem & præſtantiori modo Eccleſiæ ſuæ, ſe ipſum præbet in eſcam veram, vt tali & tanto refocillata cibo & potu, in æternum perduret tempus.

Deſcenſus ſpiritus mundi ſuper mixta naturalia, aduentus Spiritus ſancti ſuper Chriſti aſſeclas figuram quandam repræſentat.

CAPVT XI.



AMIAM Chymiæ alumnis explicandum venit, quid propriè ſit ſpiritus mundi, nam in præcedentibus capitibus humiditatem radicalem Mercurij mundi, ſpiritum mundi diximus; hanc vero humiditatem ſeu ſpiritum humidum volatilem, cum Chriſto ſymbolum habere oſtendimus. Nunc vero ſpiritum Mercurij cum Spiritu ſancto, ſymbolum etiam habere volumus: videndum nobis eſt & explicandum an ſi ambo ſpiritus ſint vna & eadem res in Mercurio mundi. Itaque ſpiritus quem cum Ieſu Chriſto ſymbolum habere voluimus, humiditas eſt radicalis Mercurij, quæ humiditas cum ſit tenue quid, & valde ſubtile, ſpiritus nomine, dignari meretur, propter ſuam tenuitatem. Quod enim

Spiritus ſancti ſymbolum naturale.

subtilissimæ & æthereæ est essentiæ, spiritus nomen sibi vindicat apud Chymicos. Siccitas pariter radicalis & essentialis quæ in eodem Mercurio reperiri contingit, propter eandem tenuitatis & subtilitatis essentiam, spiritus etiam nomine insigniri non dedignabitur. Tria enim sunt in Mercurio mundi, calidum putà innatum quod & sol dicitur & sulphur. Humidum primigeniũ quod est Luna & Mercurius appellatur: & siccũ radicale quod & sal, nodica vinculum & amor solis & lunæ vocari solet. Hæc tria propter tenuitatem, qua pollent spiritus cognomẽto efferri possunt, & præcipuè cum in Mercurio reperiantur volatili; nam hæc tria in ipso volatili Mercurio, vti & in fixo ac permanenti solent reperiri, Nullus autem fere Chymicorum est, quin duplicem hanc Mercurij differentiam agnoscat, triplicemque hanc vtriusque compositionẽ perfectè calleat. Quocirca in præsenti capite siccum radicale Mercurij, spiritũ mundi dicemus, huncque cum sit amor vinculum & nodus calidi innati & humidi primigenij, ipsiusmet Mercurij mundi, cum Spiritu sancto, quadantenùs figuratim quadrare dicemus, & potissimum cum per eius irraditionem & influxum sanctum & sacrum Christi asseclas, Christo perfectissime & indissolubili vinculo & nexu, connexos esse credamus: Spiritus enim sanctus cum perfectissimus & absolutissimus sit amor Patris æterni & Filij, filijque patris, ita vt eo amore in vnitatis essentiam vnam coëant ambo, & non solum hæ duæ personæ, sed & ipsemet Spiritus sanctus tertia sacræ Triniratis persona, subit eãdem

Quid Sol, quid Luna, quid Mercurius dicatur apud Chymicos.

Spiritus sanctus est vinculum & nodus Trinitatis.

Trinitatis essentiam, eomet ipso amore & vinculo suo, sic solus est ille, qui nos Christo perfectissimis alligat vinculis. Quantùm enim præstat nobis, ad securam & tutissimam salutem nostram consequandam IESV CHRISTI Saluatori & Redemptori nostro adhærere, tantùm etiam & nobis præstat Spiritus sancti, sacer aduentus; quo solo feruet cor nostrum amore diuino, eoque indissolubili nexu & ligamine IESV CHRISTO, deuinctum confirmatur. Sic & spiritus mundi, ita adunat partes mixtorum, vt in vnitatis indiuidui compositionem coalescant, & sic eo vinculo & nodo viuunt & perdurant tempus suum. Spiritus sanctus incarnati Verbi mysterium in vtero sacratissimæ Virginis molitus est, ad hominum omnium salutem & vitam spiritualem & æternam. Spiritus mundi humidi radicalis quod cum Christo symbolum habere superioribus vidimus capitulis, in centro tanquam in vtero terræ virginis operatus est incorporationem ad vitam rerum sublunarium, & earum perdurationem & æuum ne in nihilum eant. Spiritus sanctus è cœlo descendit ad confirmandos, docendos, & illuminandos Ecclesiæ primos patres, Christi primos Apostolos & asseclas, vt mysteria diuina & sacra tantę & Catholicæ perdiscerent Ecclesiæ, cæterisque posteris suis traderent intemerata, spiritus mundi è cœlo descendit, vt Mystas & Sophos doceat naturæ secreta, & arcana eaque perdiscãt eius luce & radijs, qui per totam naturam spargũtur, vt vnusquisque in propatulo habeat quod in tota natura magnum est & pretiosum.

Spiritus sanctus Christo nos perfectissime alligat.

Spiritus sanctus primos Ecclesiæ patres illuminauit.

Symbolum & figura naturalis Spiritus ſancti.

Spiritus ſanctus deſcendit è cœlo, ſuper Apoſtolos ignei flaminis inſtar venti & ignis impetus præ ſe ferens formas; Spiritus mundi dum terras petit, mixtaque naturalia afflat, nihil niſi ventus & ignis eſt & vitæ naturalis flamen. Spiritus ſanctus Eccleſiam Romanam Catholicam & Apoſtolicam conſeruat viuifico ſuò & ſancto flamine, vireſque eius, virtutes & energias multiplicat, & per totum terrarum orbem propagat & extendit, ſpiritus mundi vniuerſam naturam tutam & ſecuram fouet & nutrit ſuo intrinſeco viuifico nectare, eiuſque virtutes & proprietates, actiones & facultates, mirum in modũ multiplicat, vnde tot generationes, & noui in dies ortus. Spiritus ſanctus aduentu ſuo renouauit vniuerſam faciem Eccleſiæ, vnde illud. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ: Sic & ſpiritus mundi, aduentu ſuo, renouat faciem terræ, veteris hyemis cortex depellitur, & noua vernáque & viridi cuncta circunteguntur pelle, aduentante vere, vbi omnia ſpiritus mundi copioſo afflatu iuueneſcunt. Sic claret omnibus & manifeſtum eſt per Alchymiã ſpiritum mundi rudem quandam figuram & imaginem adumbratam ſecum præ ſe ferre, qua poſſumus myſteria Spiritus ſancti, nobis cœlitùs ac diuinitùs à patre luminum & ſapientia eiuſdẽ, & ab ipſomet Spiritu ſancto reuelata, quadamtenùs penetrare & percipere, aut ſaltem fidem noſtram confirmare & hiſce naturalibus fulcris diuino ſemper afflante ſpiritu ſtabilire.

In charactere spiritus mundi occultantur scientiarum naturalium omnium arcana.

CAPVT XII.



OPHI, Magi antiqui omnes & cabalistæ rerum naturalium mystica adeò obscuris inuoluebant ænigmatibus, tropis & figuris, vt nihil posteris traderent, nisi per characteres, & rerum discendarum hyeroglyphica; Itaque vnius & solius characteris ambitu exiguo, complexi sunt omne quod libro vnico satis amplo, imo & volumini magno iam inscribi potest: hanc rei veritatem satis testantur Ægiptiorum columnæ & pyramides characteribus & hyeroglyphicis depictæ, quibus Philosophia integra occultabatur. Vnicum ex omnibus characteribus elegerunt, antiqui Sophi, cuius solius ambitu quamplurima, eaque perpulchra, naturæ arcana, obtexerunt: Hunc autem characterem hoc plane modo descripserunt in vertice illius Lunam bicornem in centro Solem, in base & fundamento Crucem posuerunt: ex sole illius characteris centro, intellexerunt calidum innatum mundi, vitæ fontem, in centro cuiuscumque rei residentem, & in ipsomet mundi centro commorantem, vt commodius vitam

Antiqui qua methodo scientias rerum traderent.

Explicatio characteris Mercurij.

omnibus mundi partibus, communicare possit, & elargiri queat omnes suæ vitæ facultates, vsque ad vltimas orbis partes. Ob quam rem calidum istud innatum vitæ fontem, cor mundi fecerunt & centrum, quod circulo solis propemodum depinxerunt è cuius medio, infiniti fere lucis & ignis vitalis radij perenniter scaturiunt, ad ingentem & præpotentem illam vitæ vim & energiam commonstrandam; circulus siquidem caret fine & principio, sed ipsi vndique finis, & vndique principium inest, sic & calor naturalis mundi actione particulari & limite suo circunclusa, caret. At vndique surgunt omnes qualescumque sint mundi & naturæ actiones quidquid enim est actionis virtutis & energiæ, in vniuersa natura ex eo profluit fonte, & in ipso submergitur, non secus ac circulus figuras alias omnes, in se complectitur; Sic & calidum innatum mũdi actiones omnes, facultates & energias in se coërcet, quas radij illi innumeri & fere infiniti, ex medio circuli pullulantes representant.

Luna bicornis in charactere Mercurÿ quid indicet.

Luna bicornis quæ in vertice characteris sita est, humidi radicalis mundi & naturæ, nobis ideam exhibet, humiditas hæc radicalis mater est rerum omnium, vt & calidum innatum omnium censetur pater. Ex Luna bicorni indigitatur hæc humiditas rerum omnium altrix seu semicirculo, vt sciamus & perdiscamus hanc humiditatem radicalem, non nisi partem esse humidi calidi innati essentialem & radicalem, non secus ac fœmina masculi censetur media pars & generationi inepta nisi masculo coniugata, qui circuli perfecti & solis ad instar illi est. Sic est

humiditas calidi innati censetur fœmina, & vera media pars, generationis rerum & ortus minime compos, nisi calido innato tanquam masculo suo indissolubili nexu connectetur; ideo Lunæ bicornis figura hanc humiditatem connotarunt, Antiqui, vt mediá calidi innati partem esse hinc aucuparentur, Philosophiæ alumni, & præterea vt perdiscerent omnes Lunam cœlestem esse matrem istius humiditatis, vt & calidi innati solem esse patrem, Luna si quidem cœlestis sua virtute & energia hanc humiditatem fouet, nutrit, alit, & multiplicat. Experientia ipsa id nobis indicat, dum plenilunio, omnia conspicimus succo vitali & nectare viuifico turgentiora & pleniora; quia tunc temporis Luna toto suo orbe lucet & radiat, qua luce & radio in inferiora humiditatem hanc infundit copiosiorem & perfectioré: vbi enim maior inest lux & fortiores radij, ibi etiam maior influxus, & copiosior. Influxus autem cœlestis nihil nisi calidum innatum mundi est, & vitæ sublunarium omnium fomes & fulcrum, quod absque humiditate innata, radicali & primigenia imaginari non possumus; sunt enim ambo indissolubili vinculo connexa, ob quam rem perfectissimè imo & peracuta diuinæ Palladis arte, Luna bicornis quæ in culmine characteris Mercurij collocata est humiditatis radicalis & primigeniæ symbolum refert.

Humiditas Mercurij est mater rerum omnium, vt & calor est omnium pater.

Luna humiditatem Mercurij nutrit, alit & auget.

Influxus cœlestis quid sit

Siccum autem radicale quod calidi innati seu Mercurij essentiam integram cóplet & absoluit acutissimè, & rectè admodú repræsentatur Cruce, in infima parte characteris posita, humidum enim primigenium quod est semen radicale rerum omnium non patitur rerum sublunarium

Crux quid repræsentet in charactere Mercurij.

alterationes, corruptiones & varias mutationes, nisi postquam sicco illo radicali adunatum est,& compactum, quod nomine salis annotant Alchymistæ; at quam citò sublunaria coagulata sunt sicco illo radicali & essentiali Mercurij, eò citiùs etiam hinc inde germinant & pullulant omnia, & sic per crucem, actionis & passionis verum & vnicum symbolum siccum radicale Mercurij, seu semen rerum omnium passionis & actionis basis & fundamentum figuratur.

Sal qua ratione sit generationis & corruptionis basis.

Qua ratione autem & qua naturali via siccum radicale Mercurij generationum & corruptionũ sublunarium sola & vnica sit basis & fundamentum, & quo pacto crux sit passionis & actionis symbolum, manifestandum iam venit, vt quod est in tota Alchymia secretius & altius in gratiã alumnorum artis explicemus.

Sancitum est apud Philosophos Peripateticos, actiones & passiones rerum sublunarium, ex contrarietatis fonte scaturire;in Mercurio autem mundi nihil datur contrarij, nec dissonum. Vndenam ergo ex Mercurio mundi generationes & corruptiones, passiones & actiones profluent; profluunt ex superficie Mercurij quæ alligata sũt centro Mercurij, siccitatis radicalis nexu & vinculo, generationes & corruptiones & varias omnes mutationes parit & producit; superficies autem hæc Mercurij, elementa sunt, quæ ex centro Mercurij educta,ad superficiem eius conuolarunt, vbi alterationes & mutationes efficiunt contrarietatis pugna, & innato & naturali eorum inter se bello. Hæc vt clarius intelligãtur crucem passionis & actionis symbolum expli-

Vnde profluant actiones & passiones.

candum venit. Delineatur circulus perfectè rotundus è cuius centro ducentur lineæ duæ æquales in crucem dissectæ, ad eius superficiem, hæc crux, superficiem circuli, centro eius alligabit & coniunget. Alchymistarum primi asserunt Mercurium mundi in instanti suæ creationis, antequam generationes & productiones rerum fierent, quasi punctum esse quod per generationes & productiones, in circulum perfectum & orbem euasit: vt autem punctum in circulum expandatur & orbem, lineæ quamplurimæ aduocandæ sunt in auxilium, quæ ex puncto ducantur superficiem versùs, lineæ autem sic ductæ, constituunt & delineant cruces. Siccum itaque Mercurij mundi, siue sal vitæ coniungẽs superficiem centro suo, & centrum superficiei, est actionis fundamentum: Nulla etenim datur via à centro ad superficiem, nec à superficie ad centum, nisi per motum, motus autem est actionis & passionis basis & fundamentum; puncta item quæ in superficie sunt, diuersa sunt & varia, ideo inter se contraria, & ideo in superficie sola actio & passio reperiuntur, in centro autem in quo nihil nisi vnicum punctum est, non datur contrarietas, nec propterea actio & passio, etsi ex illo vnico fonte oriantur actiones & passiones, at id in superficie sui circuli tantum contingit. Sal autem vitæ seu siccum Mercurij radicale & essentiale quod connectat superficiem centro centrumque superficiei, rerum omnium est etiam in omnibus, mutationis & alterationis principium, qui mysterijs occultis salis initiati sunt, & miracula eius naturalia conspexerunt,

Quare in superficie Mercurij sunt actiones & passiones.

mixtorum reductiones per ignem in cineres, & in salem, & hunc iterum in mixtum simile, & idem specie, ex quo sal ductus & extractus est. Hâc Philosophandi rationem & methodum, fateri cogentur & capient vna secretissima Alchymiæ arcana, quæ iam explicata sunt, & cortice suo durissimo denudata.

Sal ergo & crux mysticum quoddam arcanũ in se recondunt quo actiones & passiones rerum sublunarium contẽplari queamus,& mira naturę inMercurio mundi admirari,quæ in dies ex centro suo emergunt in lucem,ex quibus tota Philosophia floret & candicat, cuius compendiũ in hoc solo charactereMercurij habemus perfectissimè insculptum & inscriptum : Luna si quidem & Sol quæ supremum occupant characteris locum,naturam cœlestẽ indigitant,quidquid enim cœlum suo altissimo ambitu in se coërcet, nihil nisi Sol & Luna est: Sol pater, Luna mater rerũ omnium habetur,cœli motus vniuersus quo omnia persistunt in diem & noctem distinguitur. Sol diei,Luna nocti præest, itaque motũ naturæ vniuersum & externum & internũ Solem & Lunam dicere possumus, & si quid est aliud in cœlo,quod Solis & Lunæ non redoleat essentiam illud tamen qualecumque sit Sole & Luna perficitur. Crux autem infima naturæ elementaris ideam & exemplar nobis exhibet: ibi enim cœlestis virtus & energia descendens mutationum omnium & alterationum scopus est, & centrum in quod omnia sublunaria vergunt; vnde crucẽ in infima characteris Mercurij parte posuerunt antiqui, tanquam passionis & actionis symbolũ.

Sol & Luna in charactere Mercurij quid indicẽt.

Proinde in inferioribus nihil cruce carere potest, ad perfectionis summum gradum attingendum, quod expressis verbis Deus ipse, Christus Redéptor & Saluator noster, indigitat & præcipit hominibus se ipsum sequi & ferre crucem suam ad summum illud perfectionis culmen, ad quod tédimus omnes conscendédum, quod æquo iustius est; si enim sublunaria cuncta, dum ad perfectionem vergunt crucem portãt Mercurij quid moliri debeant homines, Christi asseclę, dũ immensũ illud perfectionis perreptant culmẽ, nonne crucem Christi perferre, quibus possunt humeris cogi merentur? vt tantæ Crucis ope, superficiem miseriarum & calamitatum suarum, centro fœlicitatis & inuiolatæ pacis coniungant: ex nihili centroducti sumus per rerũ omniũ centrũ verum & vnicũ Deum, & ad superficiem mũdi eiecti, in qua mutationũ & contrarietatis reperitur anxietas. Cruce autẽ Dñi nostri IesuChristi superficies illa corruptionum & peccatorum, mutationum omniũ & contrarietatis vera sentina & lacuna, connexa est, centro diuino, in quo vera pax & æterna quies, nobis erit Crux hisce de causis, ex immensis meritis Christi quidquid est infensi & infausti fugat & procul à se eliminat, abyssum infortunij & veri mali claudit, cœlũ aperit & supremæ fœlicitatis est vnica clauis, & ex fœlici crucis auspicio tota mundi sublunaris perfectio pendet, imo & cœlestis honor, decus & gaudium Angeli siquidẽ & homines præcipui cœlicolæ, nõ eo decore, honore & gaudio perfruerẽtur, absq; crucis mysterio, cuius ope gratiam confirmati sunt omnes, eamque adepti sunt virtute agni immaculati Crucis patibulo suspensi, ideoque

Nihil Cruce carere potest si perfectionis attingat culmen.

Laus Crucis & virtus.

Angeli Cruci debent honorem.

Crux est totius perfectionis basis.

etiam character Mercurij, cruce sua lunam solemque portat, vt omnibus hoc emblemate in propatulo sit crucem esse totius perfectionis basim & columnam firmissimam, tam in cœlesti quam in sublunari globo; Christus enim Deus per mortem & crucem suam naturam vniuersam benedixit, & sic pater æternus oblitus est maledictionis primæ in hac Christi benedictione, totius naturalis & supernaturalis perfectionis summa consistit. Quid enim est creatum qualecumque sit, sui creatoris & conseruatoris gratia & benedictione orbatum? Non immerito ergo, crux sublunarem globum repræsentat; ipsi enim tanquam cruci incensa omnia, maledicta & infausta aderant, Christus tamen assumendo crucem, humanamque naturam induendo, quæ caput est & princeps totius sublunaris essentiæ, hæc omnia infausta & maledicta sustulit, quod ipse bonorum omnium sit summum bonum. Itaque bono illo summo, malum omne abijt & in bonum transijt, ligno fructifero malum omne subijt in mundum, ligno pariter Christifero bonum omne redijt in mundum. Hinc desumitur illud dulcissimum melos Ecclesiæ Romanæ, quod gloriosi pangit prælium certaminis.

Humanitas est caput sublunaris essentiæ.

De parentis protoplasti,
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis.
Morsu in mortem corruit,
Ipse lignum tunc notauit,
Damna ligni vt solueret.

Mundum ergo hunc sublunarem & inferiorem globum,

globum, aptiori & conuenientiori symbolo & emblemate, quàm cruce, nec nos possumus, nec antiqui Sophi potuerunt connotare: mundus si quidem hic sublunaris infœlix, infaustus, maledictus & malorum omnium plenus, per crucem perfectissimè figuratur, cum & crux ante mortem Christi malorum & maledictionum omniũ fuisset compendium: sed post mortem eiusdem Christi, est summi boni & benedictionis omnis abyssus; sic & mundus ante aduentum & mortem Christi, non mundus, sed quid infœlix & infaustum maledictum & miseriarum plenum; post mortem vero, mundus vere mundus, Christi deliciæ, Dei gaudium & paradisus, in quo plantæ pretiosæ innumeræ reperiuntur, quarum amore delibutus & correptus Deus placuit ipsi vnigenitum filium suum crucis patibulo suspendere, totumque suum sanguinẽ effundere ad eas ipsas plantas ne marcescerent, eo ipso sanguine irrigandas. Idcirco per crucem renouatus est mundus & à creatore suo iterum figulatus, in meliorem quam in prima creatione formam. Nondum enim, vt iam habet Deum hominem, mundus habebat eius Saluatorem & Redemptorem, nec tanto dignabatur honore, quin etiam & crux sanctissima, mundum hunc inferiorem & sublunarem repræsentat, sua innata & naturali constructione quæ duabus lineis per medium coniunctis simul & disiunctis affabrè distinguitur; sic ex duabus lineis ea via coniunctis & disiunctis surgunt quatuor, quæ & elementorum quatuor figuras exhibent quorum duo, initio toti mundo fuere, vt volunt Philosophorum

Per Crucem renouatus est mundus.

Crux mundũ hunc inferiorem repræsentat.

Elemēta quatuor qua ratione ex mercurij centro enerserunt.

quamplurimi ignem & aquam affirmantes toti orbi principium dedisse; hæc enim elementa in centro suo concocta & disiuncta, tanquam duæ lineæ in centro crucis dederunt & alia duo, quæ perfectissimum orbem super centrū suum rotando & gyrando perfecerunt, ignis in aquā agēdo, ex sublimiori parte aquæ & crassiori ignis portiūcula exsurrexit aer, ex crassissima autē aquæ parte & ignis spissiori particula terra exorta est. Quod & adhuc experientia Chymica, quotidiè verum fore cernimus, ex omnibus enim liquidis igne operante aer & terra cōsurgūt. Tenue enim quod euaporat & exhalat aer est, crassum verò & spissū quod fundum occupat terræ nomen verè sibi vēdicat. Itaque ignis & aqua in principio centro suo connexa & disiūcta, aerem & terrā dederunt quæ orbem integrū perfecerūt. Non possunt hæc duo elementa centro cōjungi & disiungi quin crucis figuram refferant, nec super centrum suum gyrari quin orbem perficiant. Hisce de causis ac iusto titulo, crux sacratissima mundi & orbis sublunaris occultum & sacrum sibi attribuit symbolū, linea superior ignem nobis indicat laterales: aerem & aquam connotant, inferior terram nobis demostrat. Hæ quatuor lineæ super centrum suū in gyrum conuersæ, mundum hunc visibilem construxerunt circulum & orbem absolutissimum. Hæc est mystica illa tam sublimis & ardua quadraturæ circuli constructio quam ignorant omnes quibus crucis mysterium latet; elementa enim quatuor quæ quadrangulum perfectum in natura constituunt, si in vnum coēant, perfectum in natura constituunt, si in vnum coēant, perfe-

Mundus qua ratione factus est ex mercurij puncto.

Quid iudicēt Crucis quatuor linea.

Quadratura circuli Chymice qua ratione fiat.

ctum globum & orbem effigiant necesse est; si vero centrum globi & orbis in quatuor diuidatur partes crucis instar, exsurgent ex illa diuisione quatuor trianguli, qui si ea parte qua iunguntur centro globi ducantur ad superficiem quadrangulum constituunt. Sic explicatur Chymicũ illud axioma, miro & obscuro ænigmate obtenebratũ: fac ex mare & fœmina circulum, ex circulo quadrangulum, ex quadrangulo triangulum, ex triangulo circulum, & totum possidebis magysteriũ totius Alchymiæ centrum: Si enim materiam a natura iam præparatã numero duplicem, substantia & essentia vnicam, in perfectissimum circulũ conuertas, aquam efficies & ignem, quæ Mercurium vnicum constituunt Philosophorum, & aquã, quæ verus absolutus & perfectus est circulus; essentia verò illius aquæ in quatuor perscindenda est partes, scilicet in partem igneam, aæream, aqueam & terream, & id absque diuisione ac separatione Physica, at dicimus separare oportere propter elementorum omnium colores, virtutes & energias quæ inter coquendũ & circulandum surgunt & apparent; dũ enim terra & aqua vigẽt colores omnes virtutes & energiæ horũ elementorum visuntur; dum vero floret aër, & aëris proprietates & facultates, conspiciuntur, dum vero cãdicat ignis, & illius vigor & robur manifestãtur, & oculis in propatulo sunt; sic ex circulo illo seu Mercurio Philosophorum quadrangulus cõsurgit, & ex quadrangulo illo, emergit triangulus, in vnoquoque enim quadrangulo, quatuor adsunt trianguli, hoc est in vno quoq; elemento, quatuor sunt elementa, quæ singula, trina illa &

Hæc notatu dignissima sunt.

Explicatio trianguli & quadranguli Chymici

indiuisibili constituuntur, compositione, sale scilicet sulphure & Mercurio, quæ in singulis elementis reperiuntur inuisibilia& inseparabilia; vnde & singula elementa triangula sunt, vnde rectè & sapienter admodum Chymicè fatur, in vno quoque quadrangulo reperiri quatuor triangula & ex his quatuor triangulis perfectissimum & numeris omnibus & mensuris absolutum quadrangulum emergere. Quadrangulus autem & quatuor isti trianguli conuertuntur iterum in circulum perfectum, dum hæc omnia in vnicam coquuntur substantiam homogeneam perfectissimè coctam & absolutè puram ab omnibus heterogenijs partibus vindicatam.

Sic mysticus ille circulus Chymicus reducitur in quadrangulum, & quadrangulus in circulum perfectum & numeris omnibus absolutum mediante cruce, quæ in quatuor ramos distincta, Christum Saluatorem & Redemptorem nostrum gestans & continens naturæ creatorem & authorem, ea ratione perfectissimum continere & coërcere circulum, dici potest, cũ Christus Deus & homo, creator & redemptor creaturæ, rerum omnium perfectissimus circulus & orbis omnia continens & coërcens verissimè predicari possit; hæc sunt mysteria crucis quæ characteris Mercurij infimę basi depingitur, tantum secreti rerum naturalium continens quantum & toto orbe coërceri potest, rudem quandam effigiem & primas arcani tanti lineas vobis tantum hoc in capitulo depinxi, vt qui nasuli sunt, subolfacere valeant quantum valeat characterum Chymicorum explicatio in referandis

Christus qua ratione circulus dici potest.

naturæ arcanis. Quod & adhuc in explicatione characteris diuinæ potentiæ nitidius candeſcet.

Character quo Deum figurabant antiqui ſcientias ſupernaturales complectitur.

CAPVT XIII.



NTIQVI omnes & Sophi veteres Zelotypia tanta ferebantur in occultandis ſcientiarum omnium myſterijs, vt quidquid de his crederent & tenerent ipſi figuris ænigmatibus, emblematibus, fabulis & characteribus, tantum graphicè depingerent: Ex quibus tamen myſteria valdè occulta reſerare poſſumus quæ ipſi quidem numquam ſubolfecerunt. Vt Deum incomprehenſibilem figura quadam naturali depingerent, circulum fecerunt literam. T. mediam in illius cẽtro continentem, & circulum iu tres partes æquales diuidentem: hac plane forma ⏀ magnus eſt Dei character reſpondens aliqua ratione Mercurij characteri, vt notat paracelſus iu ligno vitæ, ad cuius myſteria explicanda, integrum & grande non ſufficeret volumen;pauca tamen & quæ poteſt ingenij tenuitas, hoc capitulo præſenti diſpaleſcent.

Antiqui omnes in docendis ſcientijs auari valde

Circulus ergo immenſam infinitam & incom-

Explicatio characteris diuini.

prehensibilem diuinæ essentiæ majestatem rudẽ & qualem & quantam natura potest nobis exhibet figuram, & effingit speciem, cum circulus figurarum omnium capacissimus & maximus habeatur; quot enim sunt in eius superficie puncta, totidem & anguli in ea reperiri contingit, qui lõgissime & æqualiter a centro distanter capacitatẽ illam prægrandem & omnium maximam constituunt. Si veteres sophi circulum infinitum delineare potuissent, vt infinita est immensa diuinæ majestatis essentia, non ambigendum est, quin id fecissent, vt ex verbis & definitionibus suis colligere facile est: Hermes siquidem trismegistus Deum esse asserit circulum, globum, sphærã, & orbem, cuius centrum vbique, superficiẽ nullibi reperiri, quibus verborum terminis, circulum infinitum & orbem vndiquaque immensum nobis depingit, quem mentis solo conceptu percipere, & non manibus vlla graphices artis peritia delineare fas est. Ob quam rem cabalistarum primi circulum finitum, & orbem superficie vndiquaque circundatum effinxerunt, ad Deum quadantenùs repræsentandum, at manet eorum alta mente repostum circulum, hunc finitum infinitum connotare, definitione hermetica affabrè & graphicè effictum. Huius circuli superficies & immensus ambitus, Patrem æternum infinitum omnia continentem, nec præ magnitudine ab vllo contineri, quàm a se ipso solo, compotem figurat & ostendit, non secus ac immensa illa infiniti circuli superficies, nullo alio coërcetur loco quàm vasta sua & infinita magnitudine quæ nullis est circumclusa terminis, sed vbi-

Deus quid sit.

Circulus in charactere Dei quid figuret.

cumque extensa locorum, extra quam vllus non datur locus, linea verò media immensum circuli ambitum sua etiam immensitate, in duas distinguens æquales partes, Filium æternum Patris æterni vnigenitum nobis denotare potest; vt enim vnigenitus æterni patris filius, infinitam & immensam diuinæ maiestatis essentiam in duas distinguit personas immensas & infinitas & omni ex parte sibi æquales & similes, sic & hæc linea immensum circuli ambitum in duas immensas & omnino æquales distinguit partes, & ab infinito procedit circuli ambitu, vt & filius æternus, ab immensa & infinita patris æterni, dependet sapientia: Linea vero altera, quæ literam. T. integrat & perficit & in circulo partem constituit tertiam, Spiritum nobis sanctum, Patris & Filij sacrum pneuma, repræsentare poterit. Hæc enim linea ab vtraque immensa & infinita circuli parte sumit exordium, & in eodem circuli infinito ambitu, infinitum constituit & distinguit spatium, vt & Spiritus sanctus ab vtraque Patris & Filij persona procedit, & in immensa illa & infinita diuinitate, infinitam & immensam constituit personam, & ab vtraque Patris & Filij persona distinguit. Ita vt in circulo infinito ita tripartito, si in infinitam posset extendi immensitatem, vt & Hermetica definitione superiori, mente concipi potest, darentur tria spatia lineis distincta, non essentialiter diuisa & disiuncta æqualiter immensa & infinita, quæ circulum

Spiritum sanctum quid repræsentet in charactere Dei.

infinitum & vndiquaque immenſum conſtituerent, quæ nobis graphicè depingerent immenſas & vndiquaque infinitas ſacræ Trinitatis perſonas, vnicam tantum eámque immenſam & infinitam conſtituentes diuinæ maieſtatis eſſentiam.

Sacrum redemptionis myſterium indicatum in charactere Dei.

Ex tanta huius circuli & ſuarum partium myſtica explicatione, conſurgit & ſacrum & venerandum redemptionis noſtræ myſterium; linea ſi quidem media, quæ totum circuli ambitum in duas diſtinguit partes, & linea altera, quæ à circulo & à linea hac media procedit, literam. T. affabrè effingunt. Hæc autem litera crucis ſymbolum vnicum & verum eſt, mortis & Paſſionis Chriſti Redemptoris noſtri myſterium præ ſe ferens, chriſtique ſigillum proprium & vnicum æſtimatur, apud ſacros ſcriptores, tantæ efficaciæ & virtutis, vt ab æterno Deus prædixerit, mundum hunc & vniuerſam naturam non ruituram niſi poſt legem, crucis myſterio introductam, & ſolos ſeruari poſſe Chriſti aſſeclas à tāta miſeranda clade, quorum erit fronti ſigillum crucis inuſtum. Quod & colligere poſſumus ex capite octauo Apocalypſeos, vbi Deus præcipit Angelo, ne terræ noceat neque mari neque arboribus, niſi poſtquam ſerui Domini Dei noſtri ſignati fuerint in frontibus eorum ſigillo Dei viui.

Lex Chriſti numquam deſinet niſi deſinat mundus.

Sigillum autem Dei viui eſt, Thau, hebræum; Thau autem Hebræum eſt ſymbolum Crucis, & Chriſti character, vt enim Thau, eſt vltima literarum Hæbrearum, ſic & lex Chriſti vltima erit inter leges omnes quæ hominibus datæ ſunt, vt

Deo seruiant. Post hanc Christi legem quæ crucis mysterio in naturam introducta est, non dabitur alia sed dabitur vltimus naturæ finis. Sic & Christus erit initium & finis totius naturæ, in hac rerum naturalium catastrophe, quæ prophetantur in Apocalipsi certo certius conspiciẽtur. Vnde secretè admodum & mirificè crux medium circuli occupat in charactere diuino prædicto, quasi indicans Christum fore initium & finem naturæ creatæ; quæ enim in centro latent ex principijs Chymicis prima sunt in compositione & vltima in resolutione. Nihilominus ne me tantæ stolidus & naso carens insipientiæ arguat Zoilus, vt me credere putet, Christum Redemptorem nostrum fore ex compositione naturæ, nam hæc absurda, non sonant verba mea, sed interpretari merentur, Christum Deũ fuisse creatorem naturæ & vltimum inde fore iudicem. Cruce creauit mundum, hoc est quæ munda & pura præstiterunt initio creationis virtute crucis & agni occidenti in Cruce, suam munditiam & puritatem conseruarunt, cruce redemit, & cruce iudicabit. Vnde non sine magna & maxima mystica ratione, crux medium circuli occupat, vt conseruationem mundi, redemptionem & iudicium inde arguant, qui linceos habent oculos. Sunt præterea in hac cruce multa alia secreta valdè occulta, quæ forsan nemo adhuc animo & mente concepit. Possumus enim hinc arguere, initio creatam fuisse crucem tanquam mundi conseruationi, redemptioni & iudicio omnimodè necessariam, quod in principio rerum, lux facta fuerit tanquam rebus om-

Christum fore initium & finem naturæ, quid indicet.

Crucis mysteria.

nibus perneceſſaria. Quid autem lux niſi crux? & quid crux niſi lux, nulla enim in cruce abdita litera, ſed vario aſpectu contemplata, in ſigno crucis literæ L. V. X. graphicè depictæ conſpiciuntur vt fas eſt occulis contemplari ✠ hæ autem literæ vocabulum lux conſtruunt quod eſt vocabulum Chriſti Filij Dei viui. Non ergo iã-iam mirandum eſt, cur crucis ſigno adhæreat ſtupenda virtus, cum & in cruce, lumen, conſeruationem, redemptionem, iudicium, Chriſtũ Deum Filium Dei viui conſpiciamus intrò latentem, cuius imperio, nutu & nomine omne genu flectatur neceſſe eſt, cœleſtium, terreſtriũ & infernorum.

Lux in cruce reperitur.

Lumen, conſeruationem, redemptionem, & iudicium in cruce latere, demonſtrant opera quædam Chymica, quæ ſtupendi nobis eſſe poſſunt ocularijs perſpicilijs, vt hæc admiranda rudi quodam naturali ſpeculo depicta contemplemur. Mixta ſi quidem naturalia omnia, dum in ſalem reducuntur induſtria Chymica, & in vltimam & perfectam ſui ipſius eſſentiam perducuntur, in ſalem abeunt, qui coagulatur ſub Ioue frigido, in lapillos quadranguli forma, cui crux perfectiſſime inhæret inſculpta, tanquam indicans ac nobis demõſtrans, qui ex hominum ſerie perfici volunt & culmen durationis & æui æterni faſtigium pertingere, & redimi ab omni peccatorum corruptione & perfectiſſimè indicari puri & mundi cupiunt in centro ſuo confugiant oportet, hoc eſt morti & in morte ſua ſigno crucis præmuniri debent hoc eſt crucifixi meritis ab omni vinculo peccatorum & labe

Redemptio & iudicium in cruce latent.

Perfectionis ſignum in Cruce.

vindicari. vt obsignati tali sigillo, mundi & puri indicentur à creatore, & sic reponantur in cœlum perfectionis summæ, & durationis æternæ, fœlicitatis infinitæ verum & vnicum receptitiũ locum. Vt enim in purificatione mixtorum & reductione eorum, in puram & vltimam essentiam, quæ crucis non referunt sigillum impura indicantur, & corruptionis naturalis volutabro immergi censentur; sic & in purificatione hominum & reductione eorum in puram & vltimam essentiam, qui crucis signo non erunt obsignati, hoc est crucifixi meritis induti, & sanguine passionis suæ loti, inter reprobos proculdubiò reponentnr.

Qui crucis signo non erunt obsignati in die iudicij impurierunt.

Crux ergo, mirabilium omnium mirum est symbolum, cum rerum harum occultarum nobis sit figura & mystica effigies, cuius sigillum hominum omnium non solum fronti & intimo cordi insculptum esse debet, sed & animæ ipsi fidei Catholicæ inuisibili igne & sacro caustico, inuri meretur, vt nobis sit & externum & internum pentaculum & verissimum constellatum amuletum, ad omnia humana mala procul eliminanda. Facessant hinc hæretici, Caluinistæ aut saltem crimen fateantur, dum cruces ludibrio habent, non sunt serui Dei viui, nec proinde Christiani, quia eius signo obsignari recusant, & in rerum naturalium censu, non lapidum recenseri volunt numero, sunt enim & lapides qui naturali crucis sigillo obsignantur.

Crux mirabilium omnium est Symbolum.

Caluinistæ lapidibus viliores sunt in rerum censu & peculio.

Dæmones & cacodæmones dari in rerum natura creata, colligere licet ex natura ipsa sublunari Alchymia monstrante viam.

CAPVT XIV.



ECLARATIS iamiam diuinis his mysterijs, quantum saltem potuit Chymiæ nostræ tenuitas, persequenda est modo hæc regia via, vt dæmones & cacodæmones in natura creata inuestigemus per naturam ipsam sublunarem Alchymia indicante, non obscura leniterque impressa vestigia; Deus enim omnium simplicissimus & purissimus actus, creator omnium & opifex, lineas quasdam sui ipsius rudes in natura ipsa collocauit ac depinxit, & mixtorum omniũ centro depanxit quibus nos Deum aliquatenùs cognoscere possumus, qui ex natura sua omnibus incomprehensibilis est; nihilominus tamen quantum potest ingenij humani imbecillitas, fidei lumine perlustrata, ad cognitionem Dei adumbratam naturali via conscendit. Quid ni etiã ad Angelos conscendet, cum infinita rerum distantia sint omnino, Deo inferiores.

Dæmones & cacodæmones quæ res indicent in rerũ natura.

Si antiquis credendum esset Chymicorum quamplurimis, Angelos illicò, ex natura elemẽtari colligere facile admodum erit; Asserunt

Quid antiqui dixerint de Angelis.

enim eorum quamplurimi, extra tamen veritatem omnem orthodoxã, Angelos fuisse creatos seu desumptos ex purissima parte Mercurij mũdi ex qua lumen exilijt, ex qua cœlum emicuit septem in circulos, luminibus varijs decoratos; ita vt ex hac opinione concreati Angeli ex purissima parte essentiæ luminis Mercurij mundi, seu ex purissimo spiritu Mercuriali, substantiæ corporalis sortem & legem sibi arrogare & vendicare deberent, qualem sortem sibi vendicant cœli, & cœlorum lumina, ex eadem substantia compacta. Quidquid enim centrum occupat, vel totam substantiam Mercurij mundi continet, est substantia corporalis & permixta omnibus totius mundi proprietatibus. Itaque si Angeli trahant originem ex illo fonte ex quacumque parte trahant, fontẽ hunc oleant necesse est, quod tamen paradoxum est, orthodoxæ Ecclesiæ Romanæ doctrinæ dissonum, cui adhærere piaculum est. Opinio ergo & sententia horum Chymicorum ita ieiunè sumpta, non quadrat veritati. At vt ab erroribus & calumnijs malè intellectæ veritatis eos aliquatenus vindicemus, sic erunt interpretandi, dum asserunt Chymicorum nonnulli Angelos & animam rationalem ex limbo mundi, seu Mercurio exordium sumpsisse dicendum est, non ex limbo seu Mercurio, sed vnà cum limbo, seu Mercurio mundi, sumpsisse primordium ex nihili fonte per potentiam & gratiam infinitam diuinæ maiestatis, quæ in instanti creationis, horum omnium creauit Angelos: mundum hunc sensibilem & hominem ipsum, ex abysso nihili, constituens eorum om-

Chymicorum de Angelis vetus opinio quo modo sit interpretanda.

Angeli qua ratione creati.

nium essentiam qualem placuit ipsi, faciens Angelos puros spiritus, hoc est substantias puras & simplices vna cum anima rationali omni tunc temporis cognitione & lumine, scientiæ naturalis adornatas & condecoratas: Limbum autem seu Mercurium mundi constituens puram substantiam corporalem, vitæ plenam, naturæ visibilis facultatibus omnibus & proprietatibus refertam, quæ proprietates & facultates rerum naturalium verbo fiat, emicuerunt in mundum hunc visibilem. Aut interpretari possumus, opinionem Chymicorum antiquorum, ea ratione, quod ex ea desumi possit, Angelos subsistere in rerum natura creata, posse colligi, ex essentia Mercurij seu limbi elementorum, etsi ex ea substantia non ducant exordium. Deus enim rerum omnium purissimus & simplicissimus actus, ex centro & abysso nihili cum creauerit res corporales, quæ omni ex parte & tota substantia differunt, & cœlo toto distant, à sua substantia omnium simplicissima, & cum creauerit substantias simplices & puros actus, materiæ elementorum immersos, tanquam quid medium, qualis est homo, non inficias ire debemus, quin creauerit substantias simplices & puros actus, nulli elementorum sublunarium materiæ coniunctos tanquam quid suæ simplicissimæ substantiæ proximiorem ideam referens, qualis est Angelus etsi sit ex nihilo eductus & emersus, vt reliquæ rerum omnium substantiæ.

Limbus qua ratione creatus.

Angelorum creationem ex nihilo quid arguat.

Hoc omne potest colligi ex natura & essentia Mercurij mundi Catholica fide mõstrante viam,

& semitas has inuias:omne si quidem cum creatum fuerit ab vno, essentia & personis, trino rerũ omnium prototypo, hanc vnitatem & Trinitatẽ in omnibus obseruatam & inuiolatam voluit. Ita vt omnia vna essent, & hæc vna, in tres distinctas discecarentur substantias, & hæ tres substantiæ vnius substantiæ claustro coërcerentur: vt mundus hic vniuersus, & tota natura, rudem aliquam creatoris sui ideam aliquatenùs referret & Deus ipse mundi huius architypus haberetur, & vt omnes & singulæ mundi partes præ se ferrent symbolum aliquod, & notam Dei viui, & rerũ, quæ seruiunt ipsi, vt vnius lumen, lumen alterius accendat, vel potius nox nocti indicet scientiam.

Omnia trino & vno clauduntur claustro.

In Mercurio mundi quidquid diximus, cernere licet, modo linceos teneamus oculos; nota siquidem primo inest euidens diuinæ maiestatis inusta & impressa, secundo mundi huius sensibilis viua splendet imago & vitale compendium totius naturæ, quæ quamuis tribus distincta terminis, cœlesti elementari & ex horum vtroque mixto. Naturam tamen vnicam & solam constituit vniuersam calidum innatum Mercurij, cœlestem naturam nobis repræsentat, humidum radicale eiusdem Mercurij, naturæ elementaris exemplar nobis exhibet, siccum vero radicale, quod sal dicimus Mercurij, mixtorum omnium sphæram & orbem, nobis figurat & explicat, tanquam quid ab vtraque natura cœlesti & elementari conflatum, vt sal ex calido innato & humido primigenio ortum habet.

Partes Mercurij radicales totam mũdi seriem complectuntur.

Ita sanè Mercurius naturam patefacit omnem, vniuersam & particularem, & vice versa, natura

Mercurius naturã patefacit omnem.

particularis, indiuidua & vniuerſa, Mercurium mundi explicat & oſtendit. Qua ratione verò Angeli poſſint explicari & percipi ex Mercurio mundi, cum ſint extra eſſentiam & naturam Mercurij, difficilè admodum probatu eſt, & explicatu; nihilominus Chymici Chriſtiani ſpiritus ſancti lumine colluſtrati, ita de Angelis Philoſophantur eorumque naturam & eſſentiam ſola potentia diuina, & virtute perſiſtentem & creatam, ſic humanis rationibus arguunt. Cum Deo ſummo rerum omnium creatori placuerit, ex nihili fonte educere, rem ſimplicem, corporalem, incorruptibilem & ſuo modo vere permanentem, vt naturæ viſibili & ſenſibili ſeruiat & miniſtret, iuſtum etiam verè videtur, & fide Catholica dignum, eidem ſummo Deo placuiſſe, Angelorum naturam & eſſentiam ſimplicem penitùs ſpiritualem & omnino intellectualem ex eadem nihili ſcaturigine deſumpſiſſe, vt ipſi perpetuò ſeruirent ac miniſtrarent; ſi enim natura ſeruos habeat & miniſtros à Deo ſummo ſibi datos & concreditos, quid ni etiam fide dignum eſt, & creditu iuſtum naturam creantem primã & æternam ſeruos ſibi feciſſe & miniſtros, ſuæ naturæ & eſſentiæ propinquiùs reſpondentes, quam reliqua cuncta creata, vt ſibi eſſent vigilanti & perenni obſequio deuincti. Vagantur per totum orbem ſpiritus naturales, totumque penetrant orbem, vt naturæ præſto ſint ad functionis ſuas obeundas; Hi ſpiritus proprie & Theologicè loquendo, non ſunt ſpiritus, quia corpus habent, & ſubſtantias elementares, at quia tenues ſunt. Subtiles admodum & penetrantes

Angeli qua ratione naturali explicentur.

Spiritus naturales naturæ ſeruiũt Angeli vero ſeruiũt Deo.

trantes æthereæ substantiæ, ideo spiritus vocantur, qui ex perenni Mercurij vitæ fonte exiliunt, vt toti naturæ sint obsequio. Sic Angeli veri & proprij spiritus intellectuales & essentiæ simplicis, nihil naturæ huius visibilis & sensibilis redolentes, totum cœli spatium & loca omnia beatorum, & quidquid Deus occupat, ipsi circumscripti permeare possunt, vt Deo seruiant ac ministrent. Ita sanè ex Mercurij mundi spiritibus, Angelos puros spiritus & simplices, intellectuales substantias colligere aliqua ratione possumus, non tamen asserere, vt Chymicorum fecerunt nonnulli, Angelos ex Mercurij vitæ spiritibus traxisse originem. Nam hoc erroneum est, & Angelis detrahit multum & plurimum nobilitatis præstantiæ & excellentiæ; ea si quidē ratione, non essent substantiæ simplices, quod ex materia non omni ex parte simplici essent educti Angeli, illa autem quæ omni ex parte simplicia sunt, præstant & præcellunt cæteris, quæ compositionem aliquam nacta sunt, nec ex his possunt educi. Poterat quidem Deus ex infinita sua & immensa potentia omnia ex quibuscumque educere. At quia iustus est & rerum omnium ordinator æquissimus, voluit ea ipsa quæ iuris summi erant penitus obseruare, & ordinem rerum æquissimum omnibus constituere, & ea lege, quæ simplicia omnino sunt, ex nihilo per creatorem puram eduxit, reliqua vero quæ compositionem aliquam nacta sunt, ex pluribus simplicibus simul iunctis & vnitis, per generationem & propagationem iussit emergi. Sic Angeli, sic anima rationalis, sic cœlum, sic elemēta

Spiritus Chymici quales.

Spiritus Mercurij vitæ sūt symbola Angelorum.

Angeli non trahunt originem ex Mercurio vitæ.

Creatio & generatio rerum omnium quo ordine facta sunt.

prima, purissima voluntate Dei & infinita eius potentia, ex profundo nihili barathro in lucem emicuerunt; reliqua verò cuncta quæ ex cœlo & elementis ortum ducere nata erant, ex his simul mixtis & vnitis per miram eorum omnium propagationem diuinitùs illis infusam, iussit pedetentim in lucem educi & æuo suo transacto iterum in chaos primum confundi, vt iteratis & alternatis vicibus ortus & interitus, mirandus huius sensibilis naturæ ordo, suum vltimum terminum & periodum pertingere queat. Sic verè creati sunt Angeli, sic creatum est cœlum, sic creata sunt elementa prima, & sic etiam creatur quotidiè anima rationalis. Reliqua vero cuncta fiunt & facta sunt, ortus & interitus innata & naturali virtute & energia, quæ ex diuino præcepto sumpsit exordium. Sic in rerum omnium creatione primas tenuerunt Angeli, & cæteris etiam præstant & præcellant, quia ita placuit creatori, vnde etiam condecorati fuerunt Angeli omni scientia intellectuali, qua poterant creatorem Deum intelligere, amare, perfectissimè diligere, ex penitissima eorum cognitione, quâ summo & intimo amore, flagrare poterant erga creatorem; & sic mereri fœlicitatem perpetuam, quam solam demere creati erant vnico hoc solo creatoris eorum amore; quo solo bonum eligere & supremæ voluntati diuinæ concordes & vnanimes fieri poterant operante eorum omnium libero arbitrio, quo emancipati fuerunt, ex vnica agendi voluntate in vtriusque boni vel mali delectum, vt eligendo bonum & malum reijciendo, voluntati diuinæ conformes


fierent, & sic summam illam fœlicitatẽ ad quam creati erant meritis suis lucrarentur. Iustitia si quidem nullum remunerat absque merito, vt & pœnas nullas imponit absque flagitio: Lucrari autem ex iustitiæ diuinæ legibus fœlicitatem æternam liberum postulat arbitrium, ex quo pendet amor & odium creatoris, à quo datum est tale liberum arbitrium; ex amore pendet meritorium munus; ex odio surgit supplicium.

Angeli in ipso fere instanti & creationis suæ momenti, miram & vere diuinam habuerunt intelligendi facultatem, cui Deus diuinitùs addidit incarnati Verbi mysterij simplicem & nudam aliquam cognitionem. Eorum quamplurimi in instanti eius cognitionis ira & odio adeò excanduerunt in ipsum creatorem, vt ipsum iniustum & impium ferè crederent, quod hominẽ fieri vellet, decentiùs & præstantiùs illis videbatur Angelum fieri, quàm hominem, ex hac superba & nimis arroganti conclusione. Lucifer Angelorum omnium primus hierarcha, se ipsum supra omnes alios vt pote superior & præstantior omnibus extulit, in hanc temerariam & insolẽtem conclusionem, qua sibi soli tribuit, quæ nulli erant præter Deo soli tribuenda; qui sequuti sũt Angelorum hunc arrogantis intelligentiæ conceptum, vnà cum lucifero, hæc sibi arrogant, è cœlo detrusi sunt in inferos, vbi condignas sui delicti persoluunt pœnas æternas.

Angelis data fuit simplex cognitio mysterij incarnationis.

Causa superbiæ Angelorum.

Peccarunt si quidem hi Angeli grauissimè, in prima charitatis præcepta, quibus omnibus creaturis mandatum est, diligere Dominum Deum

Angeli peccarunt in prima charitatis præcepta.

ex toto corde, ex tota anima, & tota mente, & proximum ſicut ſeipſum; ea etenim ratione, non voluntati diuinæ conformes fuere, & proinde amor ille ſummus qui creaturis erga Deum exigitur, nullus fuit his Angelis, ſed potius odium & ira in Deum, & liuor & Zelotipia in proximum. Vnde præcepta charitatis apud hos Angelos nulli fuerunt pretij & momenti, & proinde demeruerunt pœnas æternas, pro tanto delicto; non enim peccarunt in Deum & proximum intelligendi & cognoſcendi imbecillitate & infirmitate, ſed pura & nuda malitia, & data opera. Ideo grauiſſimum eſt Angelorum illorum ſcelus, quo iuſto Dei iudicio ad miſerias æternas deſtinati ſunt. Alij vero qui nullo pacto voluntati luciferi ac eius menti adhæſerunt, at fortiter in ipſum præliati ſunt, ad beatitudinem & fœlicitatem ſummam ſublimati fuerunt in præmiũ & gratiam tanti prælij. Sic Angeli hi qui bonum ſequuti ſunt quatenus voluntati diuinæ conformes facti ſunt, gloriam illam & fœlicitatem meruerunt: Alij vero qui malum ſequuti ſunt in decretum diuinum inſiſtentes, eique repugnantes, malorum omnium malum ſibi aſciuerunt cœlum & thronum Dei, in perpetuas liquerunt æternitates, gloriam & gratiam amiſerunt, captiui facti ſunt, & his omnibus malis, quæ mens ipſa capere non poteſt, mancipatos credimus, & perpetuis ſupplicijs deuinctos, infœlicitatis ſupremæ abyſſo & malorum omnium immenſo & inexhauſto barathro incarceratos, vbi omne genus, ſpecies & indiuiduum pœnæ, laboris, doloris, triſtitiæ, languoris, & anguſtiæ, reperiun-

Angeli non peccarunt imbecillitate intelligendi.

tur, & id omne perpetuo & æterno temporis æuo confirmatum, & decretum ab ipsomet qui æui & temporis perennitates stabiliuit & effecit.

Miseria miserrima fuit Angelis, & inauspicatum infortunium maximum, eorum quorumdam scelus, adamo protoplasto; nam ex eorum scelere, originem traxit & Adami peccatum, ex quo quidquid est in mundo mali & mortis primordium sumpsit, & totius naturæ infirmitates & calamitates duxerunt exordium, vt ex capite sequenti de creatione hominis omnibus in propatulo est: Ex quo colligere possumus, si id ipsũ acutissima mentis lance ponderemus, Angelorum ordinem Hierarchiam in malos spiritus & cacodæmones, & in bonos spiritus & endemones, distinctam esse, eamque distinctionem & diuisionem cœlitus nobis reuelatam. Deus etiam Graphicè depinxit in natura ipsa, eiusque notas non omnino rudes nobis ipsis inussit. Adsunt enim nobis, vitæ nostræ inseruientes spiritus benigni, qui vitæ ministrant, adsunt & alij maligni & mali moris qui nocte dieque vitæ nostræ insidias parant & spiritus mortis verè dici possunt, illi endæmonum imitantur naturam & essentiã Deo seruientes & ministrantes tanquam totius vitæ verè vitalis principio & fonti, hi vero cacodæmonum sequuntur genium, & Deo repugnant, eiusque thronum, si possibile esset euertere contendunt.

A superbia Angelorum prodijt Adami peccatum

Mercurius seu calidum innatum mundi, quod est fons & scaturigo naturalis vitæ, quod Deum ipsum & in superioribus legimus, anologicè repræsentat, id ipsum aptius & cõuenientius multò

Mercurio adsunt spiritus benigni & maligni, &c.

nobis figurat. Adsunt enim ipsi Mercurio mundi, & semper adstant benigni & maligni spiritus; Benigni perenniter illi ministrant ac seruiunt, vt vitam nutriant foueant & conseruent, maligni verò adstant vt præsto sint vitæ nocumento, Vnde morbi & vitæ huius calamitates & angustiæ scaturiunt. Quid quæsò est in rerum natura aptiùs ad Angelorum naturam nobis quandam adumbratam depingendam ac delineandam quã spirit⁹ Mercurij, seu calidi innati; sunt enim quidam eorum, qui vitæ inhærent, nec eius obsistũt virtutibus & energijs; alij vero discordes omnino, vitæ semper insidiantur, ac eius dominium euertere tentant; illi rectè spiritus vitæ dicuntur; hi vero spiritus mortis nominantur, illi luce gaudent, hi tenebris semper immergi congratulantur, illis nitore, splendore, pulchritudine & reliquis vitæ floribus exornari votum est & amor summus, his verò lutosis recrementis conspurcari, & omnis corruptionis genere volutari scopus est vltimus, & expectata finis qua vergunt. Vnde non mirum est, si Alchymia in perquirendis naturæ arcanis aliquando se extollat supra vires suas, terminósque & limites suas naturales transgrediatur, cum in rebus ipsis naturalibus, consona multa supernaturalibus reperiantur, vt ex spiritibus naturalibus facilè admodum animaduertimus, quibus Angelos supernaturales essentias & simplices, aliqua ratione, mente concepimus.

Indagat & inuestigat Alchymia, ad quid homo creatus fuerit, & vndenam humanæ angustiæ & calamitates ortum habuerint.

CAPVT XV.



EGIMVS ſimul & probauimus ſuperioribus capitibus, mundum hunc non æternum eſſe, hominemque huiuſce mundi coryphæum & totius naturæ creatæ præcipuam partem æternitatis non ſapere fontem, at originem duxiſſe & primordium in temporis certo quodam limite, ab immenſa & æterna potentia, quæ ipſum ex nihilo creauit & eduxit, effecit ſibi ipſi ſimilem & aliquatenùs conformem, vt ipſi ſeruiret, miniſtraret, & tandem cœlo, paradiſo, ſummaque & ſuprema fœlicitate donaretur, ob quam rem animam viuentem verè vitalem intellectualem, æternam & immortalem in corpus eius caducum & fluxum inſpirauit, ratione cuius ab omnibus alijs mundi inferioris animantibus diſcrepat; quin etiam & corporis eius erecta ſtatura, capitiſque mira ſtructura & ſtupenda diſſonat ab alijs, circa capitis ambitum aſtant ſenſuum organa, quibus diuina eius mens ſciendi & intelligendi fit compos, bracchia & manus reliquum corporis exornant, quibus ſe

ab omnibus tutatur hostibus, & vitæ suæ ornamenta quæcumque & alimenta parat, quod nulli alteri animantium datum est; vt ipsement intelligat & percipiat mente sua, qua ceteros præcellit animantes se supra omnes esse, & Deo seruire debere, cœlumque tueri, ad quod è directo tẽdit & vergit eius aspectus, vt domum veram palatiumque innatum suum esse sciat, quod tandem occupare & possidere debet, modò voluntati creatoris adhæreat, nec ab eius vnquam rectissima norma & tramite se eliminet. Quod si in terris non adhuc his affluamus diuitijs & delitijs, mirum non est sapienti, cum summum bonum aliqua ratione demereri mereatur, antequã habeatur & possideatur. Degit homo, in hac miseriarum valle & calamitatum omnium vastissimum pelagus nauigat & percurrit, vt inde supremum illud bonum & summam fœlicitatem ad quam creatus est meritorijs & catamitis operibus tandem adipiscatur. Ita enim voluit & decreuit supremus omnium Deus, & voluntatis suæ intemeratas leges & vias, nobis in Christo vnigenito filio suo patefecit, quem pati iussit, vt in gloriam suam intraret; sic & nos omnes Christi asseclas esse debemus, pati omnia quæ possumus, & in mundo bene mereri, vt merita nostra, Christi meritis infinitis adiuncta & connexa, cœlum nobis faciant hæreditatem nostrã, qua fruamur in æternum tanquam veri & legitimi hæredes, qua diuites omnino facti & præpotentes & omnibus supra cœlestibus donis exornati, Deum creatorem nostrum perpetuis gloriæ & laudis hymnis collaudemus; Creatus si qui-

dem homo est, non vt sibi ipsi seruiat, sed vt Deo laudem, gloriam, honorem, omnéque genus obsequij reddat & merito tribuat; cætera vera cuncta, creata & ex nihilo educta, vt potè Angeli cœli elementa, & reliqua cuncta naturæ, creata quidem fuerunt, vt Deo primo seruiant, at secundariò in hominis gratiam & obsequium educta fuerunt, homo solus, soli Deo figulatus est, cætera hominis obsequio deuincta fuerunt.

Homo non sibi creatus sed Deo.

Hanc diuinitùs sancitam legem & ordinem præscriptum inter creaturas & creatorem vialauit ac temerauit primus omnium Angelus, quem subito sequutus est homo, Angeli præuaricantis astutia: Hæc enim tanta fuit in perditionem hominum, quanta fuit meditatu & cogitatu possibilis ipsis maleuolis Angelis, vt genus omne perderent humanum, & peccato contaminarent, vt incarnati Verbi mysterium hinc inde subuerterent: nihil enim Deo maiori est odio, quàm ipsum peccatum ipsi toti cœlo inimicum & contrarium.

Angelus peccato infectus & conspurcatus, voluit etiam simili hominem inficere macula, vt pari suo plecteretur supplicio & cœlo detruderetur, & ita decretum & ab æterno sancitum incarnati Verbi mysterium præpediret, sed vanum & irritum omnino fuit opus, ea potius via confirmauit quam insinuauit: nihilominus tamen hæc omnia secreta in mente seu arcano suo concipiendi modo, firmiter credebat, & ita obuenire putabat. At non fuit egregius præscius venturi vates. Si enim fuisset non ita argutè, & præposterè forsan parentem primam nostram Euam

Cur Angelus hominem excitauit ad peccatum.

aggreſſus fuiſſet & ſuis commentis in mandatorum diuinorum violationem non tuliſſet, etſi credendum ſit Angelos poſt peccatum adeò malos & peruerſos eſſe,& Dei & hominis ipſius eſſe hoſtes, vt nihil niſi mali & perditionis ergo in homines agere & excogitare poſſet.

Non ergo mirum eſt, ſi ita cautè & fraudulenter debiliorem hominis partem tentauerit, miraque eloquendi facultate, violati diuini mādati pœnas & ſupplicium eluſerit, imò potiùs honorem grandem, maximam laudem & gloriā ampliſſimam & diuinitatem ipſam ex læſione ipſius mandati promiſerit, modò fructum arboris vitæ illibatum non relinqueret, ſed ipſa primum deguſtaret & viro ſuo Adamo deguſtandum præberet; hæc enim erat virtus & energia arboris vitæ, vt eloquebatur ipſe fraudulentus orator, quam cum quis deguſtauerit, diuinitatis ſibi aſciſcere proprietates bonique malique ſciētiam,tanquam Deus ſibi vendicare.

Hiſce fraudulentis deluſa prima parens,verborū illecebris & nimia ſciendi cupiditate auara effrenata,iuit in morſum illibati pomi,& cum guſtatu ſuauiſſimū & gratiſſimum inuenerit,idipſumviro ſuo obtulit & perquáoptimū prædicat, & omniū paradiſi fructuum iucūdiſſimum eſſe perſuadet.

Adam ſimili curioſitate flagrans & ardēs promiſſis vxoris ſuæ iam ab Angelo præuaricante faſcinatæ deluſus, ad morſum intemerati pomi, verborum mira titillatione ſe præcipitem dedit, mandatique diuini penitùs oblitus eſt, ne comederet pomum hoc vt mortem æuitaret æternam: Pomum ergo intemerandum ex manu faſcinan-

tis mulieris excepit, & dentibus suis temerauit, ipsumque admordit & deglutijt & deglutiendo vix in ventrem suum condiderat, quin peccati sui crimen infandum cognouerit & criminis tãti reus factus paradisi locis vmbroso pampino obscurioribus se abscondit & arborum feudosis ramis verecundiam & pudorem criminis læsæ diuinæ maiestatis abscondere cupit. At nihil est in tota rerum natura, quod tantum crimen tegere possit, ne soli diuino & luci verè fonti appertum fiat. Clamat imò intonat Deus, vbi es Adam iam nostri similis, cur mandata mea violasti? cur tu ipse gladium mortis æternæ iugulo tuo transfixisti? Pudore nimio suffusus, vox faucibus hæret, fugit & se tegere folijs tentat, sed tandẽ excusantis verba mussitat & ait, oculis in terram demissis versus limbũ & originem suam vt infirmitatem suam ostenderet. Domine, mulier quã dedisti sociam & adiutoriũ fecisti mihi, verbis palpãtibus & fascinantibus me delusit, pomumq; porrexit & fructum diuinitatis excogitatæ, fuco & scientię mali & boni condimento, delibutum tribuit, & sic excantatum in mandatorum tuorum obliuionem me præcipitem fecit. Excusantis hæc inutilia verba, Deo non potuerunt esse iustitiæ & criminis tanti piaculo, sed sceleris potius quadantenùs corollario & additamento: nunquam est crimẽ sui ipsius in alterius culpam retorquendũ.

Propter Angelorũ & Adami peccatũ omnia quæ creata fuerãt bona, factæ sunt deinde mala.

Fons & scaturigo malorũ humanorũ omnium fuit ordinis & legis diuinæ subuersio & violatio: omnia facta fuerunt vt essent Dei obsequio deuincta, hęc eadẽ postea hominiobsequi nata erãt. Angelus primus omnium hanc legem temerauit

homo postmodum Angeli fraudulenta cautela se ipsum eiusdem violatæ legis reum effecit, & ita quidquid erat in orbe terrarum & in vniuersa natura per ipsos, & in ipsis conspurcatum est, & bona facta mala sunt, quod omnia in Angelo & homine maledictionem diuinam passa sint; erant siquidem propter ipsos bonos, omnia facta bona, hique deinde mali facti, eadem ipsis mala facta sunt.

Vnde vniuersæ naturæ corruptio.

Hinc surgit naturæ vniuersæ corruptela, sapit adhuc & redolet legis violatæ fomitem, quo innatum omnibus & insanabile agendi cacoethes, quo nitimur in vetitum, cupimusque negatum. Sic etiam in hominis perniciem omnia tendunt, nihil ipsi obsequitur, cum & ipse omnium primus creatori suo obsequi recusauit. Antequam vero creatori reniteretur, cuncta parata erant obsequio humanæ voluntatis, cuncta honorem laudem & gloriam hominis tanquam vltimæ & supremæ perfectionis centri enarrabant. Natus enim erat homo, vt totius naturæ creatæ perfectionis supremæ & vltimæ culmen pertingeret, ex vnione hypostatica verbi diuini cum humanitate; nihilominus etiam compositione

Hominis præstantia ratione animæ.

sua corporis ipsius & animæ, cæteris cunctis naturalibus præcellebat, quod ad animam attinet non ambigendum est, quin naturalia antecellat & supernaturalibus Angelis æqualis sit & conformis, diuina ac simili Angelorum stirpe satus, non tantum dissimili intelligendi acumine præditus quantum imaginari fas est.

Hominis præstantia ra-

Quod ad corpus vero pertinet, superat & reliqua cuncta, quæ ex elementorum limbo facta

ſunt. Primo quidem quod ex ſacratiſſimis ſummi opificis manibus figulatus ſit, ex puriſſima limbi parte. Pars autem puriſſima limbi ex Chymicorum ſententia & ſcientia, eſt puriſſima illa pars Mercurij mundi, quam Chymici ſalem dicunt, qui calidum innatum mundi & humidum primigenium vna & ſimul vnico corporis ſui limpido clauſtro concludit & continet, ex qua materia ſcaturiunt aurum, argentum, & lapides pretioſi omnes, qui animos noſtros pulchritudine & lumine ſplẽdoris faſcinatos retinent; quale quæſò corpus erat homini & quanta pulchritudine & ſpecioſa forma prænitebat ceteris animantibus ex aurea materia diuina penitus arte, figulatum corpus, in quod Deus ipſe inſpirauit ſpiraculum vitæ æternæ, quæ ipſi fuit anima verè viuens, certe nihil pulchrius in rerum natura inferiori excogitari poteſt. Et firmiter nobis credendum eſt cum reliquis antiquis paribus, hominem in creationis ſuæ momento antequam peccato contaminaretur perfectiſſimum & abſolutiſſimum ipſius Dei eſſe opus, corpus habere pulcherrimum & præ filijs hominum ſpecioſiſſima forma præditum, cui mens erat omni ſcientiarum naturalium & ſupernaturaliũ genere delibuta, Angelicum verè ſapiens conditionem & ſortem, firmiſſimis adeò ac indiſſolubilibus connexa cum corpore ſuo vinculis & nexibus, vt nullis agentium externorum aut internorum viribus diſſolui & corrumpi poſſet. Ita vt ab omnibus morbis & morte ipſa vendicaretur, propter naturalem hanc & diuinitùs conflatam & compactam harmoniam calidi humidi

tione corporis.

Quid pars puriſſima limbi ex qua homo creatus fuit.

Homo ante peccatum perfectiſſimũ erat opus Dei.

& ficci radicalis, quæ tanta erat, vt actio vitalis in humidum ſuum,ex calido ſurgens,numquam deficeret, numquam deficiente humido,nec abſente eorum omnium ligamine & vinculo ſicco radicali, cum his ipſis non daretur vlla permixta pars, contraria & inimica,quæ diſcordem hác ſuſcitaret harmoniam, perquam mors & morbi mundum hunc violarunt, peccato monſtrante viam & ſemitas clauſas reſerante. Ex maledictione diuina in peccantem hominem fulminata, ſurrexit frigus quo partes quædam naturalis illius harmoniæ tabefactæ & colliquatæ fuerunt, & ſic diſſonæ & diſcrepantes concordem diſcordem fecerunt humanam harmoniam; vnde poſtmodum ſubſequutæ ſunt malorum omnium humanorum infinitæ myriades.

Vnde & quãdo frigus ſubijt vniuerſã naturam.

Ante verò peccatum adeò concordi pace legabantur hæc tria principia noſtra,vt vita perfectiſſima & numeris omnibus fœlicitatis & deliciarum abſoluta hinc exſurgeret;ex tali & tanto fœlicitatis culmine præcipites facti ſumus per peccatum parentum noſtrorum in quod inciderant ſumma Zelotypia & liuore quàm maximo Dæmonis humanam excellentiam & altitudinem faſtidientis ac dedignantis, qui abſurdum excogitauit & fallaciæ plenum figmentum, quo deluſit ipſos, vt mandata diuina violarent & comederent fructum vitæ. Sciebat enim perfectiſſimè Dæmon, ex tranſgreſſione illius mandati, hominem gratia ſua & donis omnibus diuinis fore caſurum, expoliatum iri immortalitate, qua erat donatus ſi fructum vitæ ante tempus ſuum comederet & extra Dei mandatú; Fructus

si quidem vitæ, tunc temporis quidem illibatus nostris parentibus erat, ex præcepto diuino; at si serpentis fallaci eloquio tota mente totisque viribus obluctati fuissent, concessisset Deus in gloriam laudem & meritũ debellati hostis, vsum fructus vitæ, ex quo immortalitatem erant consequuturi & gratia æterna donaturi. Ita vt numquam amplius in Deũ peccare potuissent, sed in ipsum amore puro flagrassent, quo perpetuis nexibus & vinculis Deo creatori suo alligati & deuincti fuissent; & sic ab omni deprauata voluntate vindicati, & ab omni peruersæ actionis vitio tuti, perpetuas vixissent æternitates, mori nesciẽtes, sed post longissimum fœliciter in terris trãsactum æuum, viui & fœlices, cœlum conscendissent, donis omnibus spiritualibus & diuinis immensis & æternis in perpetuum durationis æuum exornaturi.

Hæc suprema fœlicitas, ex mãdati diuini rigida obseruatione surrectura erat, vt & ex aduersa rerũ serie, & violato & temerato eodẽ diuino mãdato, pullulauit & germinauit malorum omniũ sylua; maledicta est hinc tota & vniuersa natura, & hominẽ totius naturæ corypheũ & præcipuũ caput, maledictionis huius diuinæ solũ & vnicũ fontem eiusdem maledictionis stimulos agitari dignum est. Quapropter functus est omnibus suis naturalibus innocentis gratiæ suæ donis, quibus in creationis suæ momẽto, exornatus fuerat ab omni cum spirituali tum corporali perfectione expoliatus, quæstũ vitæ suæ faciens ex labore manuum suarum terram sulcans vt fructus illi ex semine indito germinet, cum tamen antea,

omni fructum genere & vitali pampino vndiquaque in hominis vſum commoditatem & delitias proflueret, nunc tribulos carduos & ſpinas germinat ipſi, laboris omnis inediæ & algoris patiens, vt brutorum propemodum miſeram viuat vitam, qui modo diuinitatis ſitiebat fontes, iumentis inſipientibus ſimilis factus, qui modò Angelorum æquabat naturam, Naturæ ſeruus, qui modo totius mundi vnicus erat Imperator, & cui pontus inertes ſubmittebat fluctus, Zephyrique tacentia ponebant ante ſuos ſua flabra pedes cui flumina parebant.

Hircamæque tigres & iuſsi ſtare dracones.

Peccata tamen eius omnia in ipſum inſurrexerunt, & naturalis principis Imperium detrectarunt; Quin imò vitæ eius fundamentum, & baſim peccatum iſtud adeò peiorauit, vt hinc mors, morbi, & totius calamitatis humanæ ſequela & comitatus ampliſſimus ſit exortus, maximo humanæ præſtantiæ detrimento.

VNDE NAM MVLIER VIRO *sociata fuerit Chymicè expenditur.*

Capvt XVI.



VLIER prima parens nostra, non ex limbo mundi originem duxit, vt & protoplastus homo primus parens noster, at ex latere protoplasti educta est, vt illi esset productionis & humanæ propagationis auxilio. Homo si quidem vt & reliqua rerum naturalium entia imò potiori iure, & fortiori fatali lege, his omnibus multiplicandus erat & ex semine suo in immensam & quasi infinitam multitudinem excrescendus; ea etenim naturali via, fidelium omnium & electorũ numero æquandus erat, & cum numeris Arithmeticis & calculis dinumerari non possent, Angelorum electorum myriades generatione & productione erat opus homini, vt tantum & talem quammaximum Angelorum æquaret numerum. In gratiam autem huius generationis & productionis, sociam mulierem Deus illi dedit & tribuit, eamque ex latere eius, ex eodẽ osse, & simili carne, eduxit; vt quod inde produceretur, & ab eorum reciprocis amplexibus exsurgeret, eamdem penitus & similem saperet naturam & essentiam.

Cur Deus Adamo sociã mulierem dedit.

Cur mulieres viros sequãtur.

Hinc non mirum est si mulieres naturali quodam instinctu virum sequantur, cum ex eo exortæ sint in eumque redire fontem, ex quo duxerũt originem naturali sponte ferantur, vt finem consequantur suum cui prognatæ sunt. Quod si earum nonnullæ reperiantur tanto virtutis robore preditæ, vt magneticam illam effugere possint energiam & cæcam illam corporalem facultatẽ, id condonandum est earum virtuti & gratiæ diuinæ, qua suffusæ feruntur potiùs in Deũ ipsum ex quo primò verùm sumpserunt primordium, & ex quo scaturijt anima verè viuens intellectualis, & earum omnium præcipua pars, cui corpus obsequium debet, ex iusti librata lance, qua corpori spiritus dominatur, alioquin retrogrado & inuerso huius sacræ legis ordine & decreto, germinat corruptio & surgit vera mors, in rebus inferioribus, corporis in spiritum Imperio. Corpus etenim sequitur corruptionem & mortem cum omnes eius partes corruptionis & mortis vinculis & nexibus copulentur; Spiritus autem cum ex vera vita & vita luce duxerit originem nihil nisi lucem vitamque producit.

Quapropter iustum & æquum est homini & mulieri, fontem sitire ex quo scaturijt eorum spiritus, & corpus eorum omnium est animæ prudentis & sapientis frænis edomandum, vt ad animæ potiùs quàm ad corporis centrum vergant; hoc siquidem cum pura vita sit, in ipso vita donabuntur æterna, illud autem cum corruptio & mors ipsa reputetur, mortis etiam supplicijs in ipso deuincientur perpetuis.

Quid quæso delitiarum est mulieri viro suo

fociatæ, centro corporali ſuo potienti, præterquam matris decorari titulo, & natorũ quorumdam ſui ipſius ſimili germine congaudere. Momentum iſtud & panxillum gaudij immenſo dolorum & malorum aceruo, imo labyrintho intricatur, & tanto quantũ eſt opus, vt quidquid eſt gaudij & letitiæ, in meram deſinat triſtitiam & languorem.

Quid præterea voluptatis eſt homini, ſi centro adhæreat ſuo ex quo corpus eius duxit primordium, hoc eſt, ſi bonis inhæreat mundi, ſi ad diuitias, ad aurum, ad argentum, & ad cætera vitæ blandimenta toto anhelet ſpiritu, ſi genio indulgeat, & bene curata cute gaudeat, bacchique venerisque ſepeliatur volutabris; momenta ſunt hæc voluptatis humanæ, quæ in ipſo exortus ſui primordio, finem vltimum conſequuntur, & eſſe verè deſinunt dum momentũ eius exortus, mors & vltimus finis illud occupat.

Non datur homini, hæc vilia ſapere, quid altiùs & diuiniùs multò, illi eſt expectandum, & toto animo perſequendam. Cẽtrum habet aliud, fœlicitatis ſupremæ ſuæ culmen, quod omni mẽtis ſuæ conamine illi perreptandum eſt, in quo quies ſumma rerum eſt omnium & ſupremum bonum, ibi potietur vera & æterna fœlicitate, delitijs perennibus non fluxis, neque labaſcenti voluptate caducis ſed immenſis hiſque æternis, fontem æternum & inexhauſtum ſapientibus ex quo ſcaturiunt. *Quale centrũ hominis.*

Brutorum eſt animantium, quorũ limbus mundi & chaos, eſt tota natura, & verum & vnicum eorum centrum ex quo educta ſunt, centrum hoc *Quale centrũ brutorum.*

terrestre & infernum expectare,in quod tandem etiam reducenda sunt & abeunda; hominis verò est, soli Deo seruire, illius obsequio perpetuò se obligare,nihil agere, nihil moliri,nec solum aliquid cogitare, quin diuinam redoleat mentem, ac voluntatem, tanquam verum & vnicum hominis centrum, ad quod tandem redire est ipsi soli, modò iustis ac meritorijs operibus tali & tanto se ipsum Christo adiuuante, dignetur centro & vltimo fine: Si verò vice versa, immemor sui in Deum obsequii fiat quæ sursum sunt minimè sapiat, at quæ super terram & quæ brutorum sunt,similis omnino fiet illis,& veternum hunc dormiens somnum in domo hac laboris, & vigiliarum catascopijs, perpetuis postmodum suscitabitur doloris immensi stimulis, quibus crucietur in æternum, quod Deum suum oblitus fuerit, & quæ cœli sunt neglexerit, quæ verò terræ cordi habuerit.

O fœlices terque fœlices illæ quæ sacro perissylio liberæ conclusæ, ab omnibus huiusce mundi tricis se expediunt, mundos muliebres omnes floccipendunt, vestes aureas limbis circumdatas negligunt, aureas catenas adamante radiante & margaritis rutilantibus exornatas, annulos & monilia pretiosa contemnunt, cæteraque muliebria blandimenta spernunt, imò fugiunt, ne omnium ferè mulierum instar innato & naturali erga Deum decedant officio, imò potiùs totius muliebris mundi ac blandimenti fascinantes obliuione emersæ se extollunt ad supremum bonum contemplandum, & ad dona superceleslia consequenda, simplici eáque mun-

da & nitida veste circundatæ, nulloque capitis comptu decoratæ, sed puro eiusdem velamento circumtectæ, solum Deum meditantur, eius obsequium gloriam, honorem & laudem, quam puro & casto modulamine dulci ac mira voce intonant insufflante pulmone amoris diuini flamine turgido, cuius amoris occulto nectare delibutæ, supercelestibus oblectamentis medullitùs perfunduntur ac longiori quidem ac sinceriori honestæ voluptatis tubo, quàm perfrui possint, quæ clauduntur hoc vasto totius terræ & inferioris orbis carcere & labyrintho.

Fœliciori adhuc & meliori sydere his omnibus natæ sunt virgines intemeratæ, quæ citissimè hæc sacra cœnobia colunt, antequam sciant, quid valeant huiusce mundi oblectamenta & fugacis voluptatis condimenta, vt penitùs diuino obsequio, perpetuis deuinciantur vinculis; vt Christo in terris nubant mendicanti, nudo & crucifixo, vt eodem in cœlis, rege cœli & terræ, luminis & vitæ patre, mortis & inferorum Domino potiantur, ac ipsum in perpetuas desponsent æternitates; aquo sponso donabuntur hisce omnibus supercelestibus muneribus quæ mens concipere non potest, honores, opes & quidquid humanos ad se rapit animos. Non dabit, sed proijciet pedibus ipsarum Deus; cilicij loco, illis aderit cingulum Zodiaco cœlesti præstantius, vestes non truncæ, non laceræ, nō malè lotæ, non vili & corruptibili materia & filo textæ, sed sinceræ, puræ, integræ, candidæ, perennes & vita, lumine, gloria sempiterna tanquam materia compactæ, sole ipso & stellis clariores,

capitis earum comptus, verè mundus erit, totoq; mundo prænitebit; imò quidquid eſt in cœlo ſolis, lucis, & ſplendoris, nitedula eſt, ex veprecu-lis extracta noctis. Si lumini ſacrarum virginum æquiparandum veniat, quo caput earum cœlo beatarum exornabitur, earumque vita non ampliùs morbis varijs caſſa & languida, non frigore, non calore, non ſiti, nec fame, nec alijs calamitatis humanæ ſtimulis fatigata, diſtorta & cruciata, imò perennibus immerſa delitijs & inexhauſtis diuinæ voluptatis fontibus perfuſa, ne dicam inebriata erit, earum cœnobium nō emucido periſtylio circundatum caduco & ruinoſo, aranearum telis variegato, ſed cœli ipſius empyrei immenſo & infinito diffuſum & expanſum Angelorum beatorumque omnium luce; imo Dei ipſius lumine, colluſtratum ibi omnia vetera tranſient & noua fient, ſed adeò noua, vt numquam ampliùs veteraſcent, at in perpetua nouitate eaque iuuenili & florenti tabeſcere neſcienti permanebunt.

Fœlices adhuc erunt omnes mulieres, quæ viris ſuis nuptæ, familiæ herciſcundæ paragraphū nullum, ſed ampliandæ titulum potiùs cognouerint illæſis diuinæ legis mandatis ac præceptis, piſcium propemodum inſtar, qui quamuis ſalſis perpetuis immergantur aquis, ſalis tamen nihil ſapiunt, at dulces omni ex parte obtinēt carnes; ſic & ipſę mulieres & ſi voluptatum huiuſce mūdi pelago innatent, nihilominus & caſtas & pia, habent actiones, & nullius illiciti oblectamenti volutabro contaminantur, at in ipſo mūdi luto, veluti cicindellæ in noctis vmbroſo velo

prælucent Deo obſequuntur, & mandata eius inuiolata obſeruant, nec tamen familiam deſerunt incuratam, ſed obuentiones omnes & emolumenta prædiorum omnium multiplicant & ampliant, vigilanti cura & labore improbo & pertinaci, vt hinc vitam ſuam totiuſque familiæ ſuæ commodent, & hanc totam numini conſecrent & dedicent, ſic quidquid eſt in rerum ſuarum peculio & cenſu, Dei eſt, & eius obſequio conſecratum. Sic Chriſti aſſeclæ omnes, quibus Deus menti eſt & cordi vitam hanc viuere debent, & hoc durum tranſigere æuum, vt quidquid eſt illis diuitiarum, vitæ ſeruiat, & hæc tota pura & ſymera, Deo optimo maximo detur; & ea ratione & vitæ methodo, omnia humana Deo referuntur, ſecundum eius voluntatem, & legis ſuæ præſcripta mandata, alioquin vice verſa, vita tota noſtra diuitijs ſeruit & obſequitur, & ſeruus Domino dominatur, & ſic præpoſterè omnia fiunt.

Officium vxoris erga maritum.

Nec mulier quidem erga filias, nec quidẽ erga maritum & virum ſuum, hanc violare debet legẽ; amplexari quidem gnatos & maritum naturalis amoris vinculo compellitur, quod ſint ſui ipſius partes ingenitæ & naturales. Non tamen adeò cæco & furenti thyrſo percuti & ſtimulari debent erga hæc inferiora, vt Deum obliuiſcantur; Deus ſi quidem ſolus globus amoris humani eſſe meretur, è cuius centro lineæ amoris ad ſuperficiem rerum alienarum poſſunt quidem educi, ſed redeant in idem centrum neceſſe eſt, vt ex ipſomet ſolo educantur, & ad circulum mandatorum diuinorũ debẽt terminari. Extra illum

enim non datur, vllus amoris legitimi & iusti terminus, quæ extraneos illos limites occupant vitij & perditionis sunt, non amoris, qui intra cancellos diuinæ legis solummodò coërcetur.

Muliebris seu fœmineus amor hoc in capite paulò maius expe·litur, quàm postulet fœminei sexus osorum ratio. Non moramur enim eorum omnium in eum sexum liuores & inuidias, sed miramur sortem & fatum fœminei sexus, quod amoris summi pelago immergatur, nihil aliud spiret & afflet, quàm amoris pneuma; quidquid enim expostulant & capiunt, acriori amoris stimulo percussæ depereunt, quàm possint homines amoris vllo impetu ferri, in obiecta quibus ardent: deductæ etiam fuerunt mulieres ex materia per diuinam potentiam, diuina amoris aura insufflata & turgida. Adam enim in statu innocentiæ, in quo Deus summus illi sociam dedit Euam totus erat amor, & quæ in ipso erant diuinam & cœlestem venerem redolebant, & ipsemet summus artifex qui diuina prorsus arte Euam ex Adamo eduxit amor ipsemet erat, & verus & vnicus cupido cœlestis. Non poterat ergo fœminens sexus tum ex materia ipsa, tum ex efficiente causa, sortem & fatum aliud sibi arrogare, quàm amoris ardore perfusum & delibutũ. Vnde ex hoc fatali amoris instinctu, colligere aliqua ratione possumus enatam illã fuisse noxiale pomum comedendi cupidinem, & ex effrenata illa pomi illius cupidine, tanquam ex Erebi fonte mala cuncta nostra emersisse & precipuè muliebrium malorum pelagus inundasse totam & vniuersam muliebre genus: tot enim

Cur pluribus morbis & miserijs, mu-

& tantis oprimuntur malis mulieres solæ, quantum mali est in tota rerum natura. Malum etiam omne ex ipsis sumpsit exordium, vnde æquum & iustum est, vt in fontem redeat suum ex quo scaturijt. Quid quæso est delitiarum & voluptatis fœmineo sexui per totum vitæ spatium, dum semel conceptum est in vtero matris earum semen & omnis perfectionis vitæ dono & munere dotatum & exornatum in ergastulo vim patitur & vinculis satis duris vitam agit; putridis & fœtidis innatat aquis & obscœno vteri volutabro, circumuoluitur; disruptis hisce vinculis & confractis obscuri carceris portis, vt luce solis & claro lumine luci fruatur, biennij saltem spatio incunabulis tanquam compedibus & manicis circumligatur; totum deinde & reliquum vitæ tempus, tum parentum cum mariti durissimo aliquando carcere coërcetur, strictis vestimentorum claustris infibulatur earum adolescentia & pubertas, vt non sibi sed viris placeat & dum ipsis placet perennibus obruitur tormentis, & si quid est delicij & voluptatis dum viris ipsæ blãdiuntur & sunt ipsis sibique oblectamento quodam adeò vanum est & fluxum, vt nouem mensium spatio perduret huiusce voluptatis & delicij exitiale tormentum, quo perfungi nequeunt sine vitæ discrimine, & menbrorum omnium exquisito cruciatu, veluti ac si Deus supremus omnium iudex & actionum criminosarum quæsitor verus, quærat adhuc ab ipsis rationem criminis, quo viros perdiderunt omnes & se ipsas, malorum omnium aceruo obruerunt in ipso & ex ipsius primæ parentis crimine: quod si amor in

lieres obnoxiæ sint quam homines.

mandati diuini obſeruandi rigorem excanduiſſet, vt & peierauit in eiuſdem mandati violationem, adiumento certiſſimo fuiſſet nobis prima parens, ſed hac lege violata nobis fuit certiſſimo nocumento & perenni, ni diuina prudentia ab æterno cautum fuiſſet, quæ ex eadem radice & ſtirpe, ſorte tamen diuerſa Euam nobis ſecundam dedit, quæ virtute ſpiritus ſancti obumbrata & amoris diuini thyrſo percuſſa adeò diuinæ placuit maieſtati, vt rem nobis omnino deperditam integram reſtituerit. Hæc ſola fuit, totigeneri hominum, iuuamen vnicum & expectatum, de quo Deus ipſe, in creatione adami loquutus eſt faciamus inquit adiutorium ſimile ſibi, iſtud adiutorium ſimile nobis eſt ſola Virgo Maria, quæ nobis fuit verò & vnico iuuamento. Prima parens amoris œſtro percita, fructum vitæ comedendi, vitam ſibi & nobis eripuit, ſecunda parens noſtra, ad amorem anhelaus diuinum & ſolo hoc vnico amore, ancilla Domini facta, verbum concepit, ſalutis noſtræ & redemptionis tutiſſimum & certiſſimum elementum.

Virgo Maria fuit Eua ſecunda.

Ita vt verè dicere poſſimus amor nos perdidit, amor etiam nos reſtituit; quid enim eſt Maria quam amari, fœminarum nulla eſt, nec fuit, nec erit poſt hac quæ æquali ſolum erga Deum ardeat amore. Vnde meritò benedicta eſt inter omnes mulieres, Dominus ſæcum fuit ab æterno, & gratia diuina vndiquaque perfuſa eſt: Huius ſecreti myſterij tum Euæ primæ parentis noſtræ, cum ſacræ Virginis Mariæ, veriſſimæ parentis noſtræ, adumbratas figuras in natura ipſa inferiori depictas, licet per Chymiam inueſtiga-

re: cernunt ſi quidem qui Chymica reſerata habent arcana, terram primam parentem noſtram ob deglutitum ſpiritum ante tempus ſuum indebitum præparatè corruptioni eſſe obnoxiam & morti, & nos omnes in peccato ipſius mortẽ eandem ſequi & corruptionem. Salem verò qui eſt terra ſecunda, pura & nitida ab omni elemẽtari macula vindicata, ſpiritu vitæ impregnata, ipſam à morte vindicare & nos omnes ab ipſa morte, & corruptionis totius labe eripere, & tutiſſimè deffendere. Terra ſordida & ſqualida, ſpiritum vitæ deglutiens nonne Euam crimine diuinæ leſæ maieſtatis conſpurcatam fructũ vitæ deglutientem & vorantem, mortem ſibi & nobis omnibus aſciſcentem repræſentat & exhibet. Sal verò qui eſt pura terra, & terra virgo, ſpiritu vitæ fœcundata, ad vitam rerum omnium nonne ſacram & intemeratam Virginem Mariam nobis figurat, quæ ſacratiſſimo vtero ſuo verbum concepit, & vitæ veræ verum & vnicum ſpiritum nobis dedit, ad vitam fidelium omnium in æternum conſequendam. Qui hæc non videt in Chymia facienda, cæcus verè eſt, & in media obtenebrantis æui nocte obambulat, hoc præclaro priuatus lumine, quæ nobis ipſis innata ſunt, & quæ perpetuò geſtamus & ſociata tenemus, ignoramus, ſic miracula Chymica ex ipſomet, muliebri ſexu, & mirum & ſtupendum muliebrem ſexum, ex Chymicis miraculis expendimus.

Probatur rationibus Chymicis Virginem Mariam eſſe ſecũdam Euam.

Terra ſordida Euam repræſentat.

Terra pura exhibet Mariam Virginem.

Ex arbore ſcientiæ boni & mali & fructu eius miranda multa Chymicè declarantur.

CAPVT XVII.



RBOR ſcientiæ boni & mali,& fructus eius mandato diuino exquiſitè intemerandus, & ſummo iure prohibitus, à primis parentibus noſtris violatus, originem & ſcaturiginem dedit calamitatum omnium humanarum; ex violatione ſiquidē tanti præcepti, ſummus rerum opifex homini ex rebus omnibus maledixit, totaque natura hinc deprauata eſt & corrupta,cum tamen anteà nulla vitij labe, nec vlla mali corruptela defœdata, ſed pura penitùs vbicumque niteret. Ex labe & macula humana, totius naturæ ſordes emerſerunt, & in vniuerſum naturæ campum diſſeminatæ ſunt, tantum potuit hoc exitiale humani peccati ſeminium, vt ex hoc vnico ſolo infecto & contaminato,reliqua cuncta ſequuta ſint eamdem & ſimilem vitij & mortis ſortem & conditionem. Ob quam rem rationi conſonum videtur, ad perfectionem huiuſce Chriſtianæ Chymiæ, de fatali tanta arbore & fructu eius nonnulla explicare, vt inde quæremus, ſecreta quā maxima & arcana,quæ cabala hebræorum mul-

tis cautilibus rerum tricis implicuit, quæ possunt ad arcana Chymica detrudi, vt hæc nobis sint vmbræ & figuræ horum diuinorum mysteriorũ. Deus summo iure prohibuerat protoplasto homini fructum hunc ex omni ligno paradisi comedere, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Hoc autem mandauerat Deus homini, vt obsequij sui votum eliceret, in leui illa & prima mandatorum diuinorum obseruatione, obtemperantia si quidem illa prima amorem summum, pietatem & reuerentiam erga Deum suum & creatorem testabatur. Non possumus enim maiori & fortiori conatu amorem, pietatem & reuerentiam testari & exprimere erga illos omnes quos amore persequi, pietate colere, & reuerentia venerari volumus, quàm per obsequium mandatorum quæ summo & exquisito nobis dantur præcepto, ab ipsomet nostri amoris obiecto. Ea si quidem obsequela, voluntatem eius sequimur, & similem & eãdem contendimus habere voluntatem, & ita quadã tenùs penitus illi assimilamur, dum dissonas non habemus voluntates, nec varias mentis sententias, sed desideria & vota similia tenemus; hæc omnia animi παθήματα similes arguunt formas, reciproco amore inter se prurientes.

Qua de causa non poterant primi parentes nostri, amorem pietatem & reuerantiam erga Deum, meliori mentis ardore, ac maiori feruore exprimere, quàm obsequio & mandati primi inuiolata obseruatione, & vt magnitudo mandati sequeretur eiusdem rigidam obseruationem,

mortem addidit Deus & maledictionem omnẽ; vt malorum omnium ſupremum culmen,in violatione eiuſdem : libero parentum noſtrorum arbitrio, tanquam æquilibri lance, ſummiſſa ſunt hæc mentis commitilia,vt voluntati diuinæ obtemperando, & quæ Dei ſunt conſequerentur parentes noſtri,voluntati verò eidem refragrando, & quæ Dei non ſunt, ſed quæ eidem aduerſantur adipiſcerentur, mala putà omnia,& mortem ipſam malorum omnium centrum.

Nonne enim æquo iuſtiùs eſt, hominẽ peccantem hiſce plecti & affligi malis, qui integer vitæ ſceleriſque purus, Deo ſimilis figulatus erat, cui ſi in tali vitæ gradu impollutus permanſiſſet,omnia creata fuerant cœlum, terra, pontus & æthera, & quæ in eis ſunt obſequio illius ſummiſſa erant. Vicarius vniuerſalis in rebus omnibus iuris diuini, ab ipſomet Deo proclamatus fuit, vt omnia creata illi obſequerentur, & ille ſolus ſoli Deo ſeruiret; voluntatem humanam, cor & mentem deperit Deus, cætera cũcta apud ipſum vileſcunt imò ſordeſcunt. Hinc colligere eſt quantum boni, vtilitatis & delitiarum in hominem ipſum redundaſſet, ſi eius voluntas deprauata non fuiſſet, ſed ſoli Deo integram & inuiolatam ſeruaſſet. Immortalitatis ſtudio flagrans, & æternitatis amore contabeſcens humana fragilitate, tanquam ſordido puluere, hæc immortalitatis & æternitatis ſeminia penitus extinxit & ſuffocauit & æternitatem cogitando, ex morſu intemerandi pomi mortem & calamitatem omnem conſequutus eſt, ſi pomum hoc non temeraſſet, ſed præceptum diuinum rigidè ſeruaſſet

quæ deperibat iure meritò adeptus erat; delitijs ſiquidem omnibus in paradiſo voluptatis delibutus & perfuſus toto æui longiſſimi tempore mortem neſciens nec vllam calamitatem cœlum poſtmodum viuus conuolaſſet, & Deo ipſo æternum & his omnibus quæ Dei ſunt potitus fuiſſet, & vitæ fructum tandem comedendi facultatem & veniam in ipſomet paradiſo voluptatis à Deo impetraſſet, ad humidum radicale vitæ, perpetuò reſarciendum, vt longæuus, imò perpetuus & perennis ſuper terram vixiſſet; quæ vbicumque locorum paradiſus delitiarum & voluptatis illi fuiſſet, vt tandem Deus ipſe, quem aloqui quotidie fas erat, ipſum è medio delitiarum, voluptatis & iucunditatis innocentis & honeſtæ in cœlum tranſtuliſſet; ibique bonis omnibus & oblectamentis cœleſtibus & diuinis in perpetuas cumulaſſet æternitates. Adeò vt paradiſo terreſtri cum omni fœlicitate relicto, paradiſum cœleſtem ingreſſus fuiſſet, cum beatitudine & ſuprema & ſumma fœlicitate, cui mundana ante oblectamenta comparata ſordeſcunt vmbræ ſunt, & fugaces delitiarum imagines.

Arboris ſcientiæ boni & mali, & fructus eius temerator Adam ſibi ipſi & nobis omnibus, hæc diuina præmia perdidit & abſtulit, qua de cauſa cum in ipſa arbore, humanum lateret decus, & ſupremum bonum, de ipſa rimari licet, qualis ipſa fuerit, in medio paradiſi collocata & conſtituta, inter authores omnes, tum antiquos tũ neotericos ambigitur, an ficus fuerit

an pomus, an iuglans, an vitis, vtrinque enim ſcaturiunt & exiliunt grauiſſimorum virorum authoritates, ita vt nihil penitùs firmum ſtatutum & ſacris patribus confirmatum de ipſa arbore reperiatur: Ipſemet Moſes ſacro pneumate afflatus, in ſacra ſua Geneſi peculiari nullo ſpecifico arboris nomine, hanc arborem donat, ſed arborem ſcientiæ boni & mali apellat, prætcrito omni alio ſpecifico arboris cognomine. Quibus conjecturis facilè ſubolfactu eſt, imò creditu verùm eſt, hanc arborem vnicam eſſe, & ſpeciē ſolam ab omnibus alijs diſſonam conſtituere, vt vnitas & ſolitudo iſtius arboris præcepti facillimè obſequendi facilitatem argueret; multitudo ſi quidem & numeroſa quantitas harum arborū ſi per paradiſum diffuſa fuiſſet mandati diuini obſeruandi difficultatem multò magis auxiſſet, rara tamen & vnica arbor præceptum diuinum obſeruatu facillimum commonſtrabat.

Ex authoritate Moyſis arbor in paradiſo collocata conſtituit ſpeciem ſolam ab omnibus arboribus diuerſam.

Itaque ſacra ſcriptura arborem hanc ſolam & vnicam facit, & inſigni illo nomine arboris ſciētiæ boni & mali exornat, vt differentiam iſtius vnius arboris, ab alijs omnibus connotet, peculiari & inſigni illo ſuo nomine; nam vt & natura, ex re ipſa, ab alijs cunctis diſſidebat, ſic & nomine diſpari ab alijs diſtingui oportebat. Miror ſummopere quamplurimos ſummæ authoritatis viros, qui mentis ſuæ acumen & ingenij acies omnes acuminant, vt arborem hanc inter ſpecies aliarum arborum dinumerare queant; vnica etenim fuit & ſola ſpeciem conſtituit integram, vt verbis ipſis diuinis & ſacris, apud Geneſim probatu facillimum eſt. Ex omni ligno

paradiſi

paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas; Hęc sacra verba denotant & explicant hanc arborem vnicam & solam esse, quam Deus in medio paradisi collocatam ostendit, vt præstantiam, nobilitatem & pretium eius simul commonstret & differentiam; veniam enim & licentiam comedendi fructus omnes Adamo cernimus & credimus concessam, comedendi verò fructum scientiæ boni & mali, rigidum interdictum manifestum habemus. Hinc clarum & euidens sumitur argumentum fructũ hunc nullam habere cum reliquis fructibus similem naturam & essentiam, sed prorsus dissonam & differentem, & propterea vocatam fuisse arborem scientiæ boni & mali, cuius insigne & præclarum nomen astutiæ fuit & cautelæ serpenti seu cacodæmoni, vt ille falleret ac deciperet primos parentes nostros asserens ac fingens, Deum non alia de causa hunc nobilem & suanissimum fructum illis prohibuisse, ni similes Dei fierent scientes bonum & malum, & titulus & nomen arboris, fuit illis rudi cuidam argumento, vt serpentem crederent, & mandatum diuinum violarent, & fructum intemerandum temerarent.

Arbor erat certissimè sciẽtiæ boni & mali, at ex diuino mandato non erat adhuc tẽpus, vt comederetur, vt scientiam boni & mali notã haberent patres nostri; obtemperandum priùs erat mandatis diuinis, & voluntati diuinæ vnicè adhærendum & tempus expectandum, quo liceret tantum & sacrum comedere fructum, vt vires & energias à creatore illi concessas comedentibus

communicaret. Quia siquidem Deus creator omnium, & arboris ipsius mandato & edicto vetuerat, ne eius fructum ederent, mortemque addidit Deus & calamitatem omnem & maledictionem in violatione sacri sui præcepti. Arbor illa sacra tunc temporis non poterat scientiam boni & mali communicare, sed mortem, calamitatem & maledictionem omnem vt dixerat Deus ex edicto suo violato, & ignorantiam potiùs quã scientiam. Nihilominus tamen si serpenti Adam obstitisset & edictum diuinum intemeratum seruasset, creditu est facilè veniam obtinuisse, edendi tantum & sacrum fructum, cuius ope cognitionem & scientiam rerum omnium, tum humanarum tum diuinarum adeptus fuisset & vitam ligno vitæ consequutus immortalem.

Arbor paradisi erat naturæ compendium Christi & sacræ Eucharistiæ symbolum.

Arbor hæc erat totius naturæ creatæ compendium, & Christi symbolum vnicum & verum, & sacræ Eucharistiæ sacrum rudimentum, quam Deus in Ecclesia sua relinquere & instituere cogitauerat, ad vitam perennem & æternam hominum omnium perpetuandam. Ex his inde sequitur Deum tandem Adamo manifestum fecisse, misterium omne, in arbore sacra illa occultum & latens: quemadmodum decretum erat filium Dei hominem tandem fieri debere, vt vniuersa natura in ipsum rediret fontem, ex quo emerserat, vt homo cõpendium naturæ & microcosmus in Deo ipso gloriam & vltimam, & supremum decus consequeretur: Theologorum enim maxima pars opinatur, imò credit, extra Adami peccatum, verbi diuini incarnati mysterium non quidem ad redemptionẽ humanæ culpæ, cum nõ

Sententia Theologorũ de incarnationis mysterio.

data fuisset, sed ad gloriam & decus humanum vt ipsa via & diuino tramite, omnia quæ in homine latent & compendioso reperiuntur, in Deũ ipsum & creatorem redirent, ex quo exilierunt.

Communicata fuissẽt Adamo hæc omnia mysteria, & ea ratione tradita fuisset illi scientia boni & mali: boni quidem catenus sciuisset naturam humanam hypostaticè vnitam & coniunctam cum diuina natura. Mali autem quandoquidem intellexisset, ex peccato suo & mandati diuini violatione, agnum hunc immaculatum, & Christum veri Dei & hominis ipsius filium, immolari debere, mori & infinita suppliciorum tormenta pati, vt peccatum hoc deleret, & labẽ, quæ ab vllo alio indelebilis erat, & adhuc quamplurimos homines reperiri morte perpetua & supplicijs æternis dignos, quod mortem agni immaculati, & Christi meritum, vollent applicare, criminibus delendis suis & gratiæ recuperandæ, quam in ipso Adamo, & deinde in se ipsis perdiderunt ob peccandi obnoxiam facultatem, quam ex origine contraxerunt. Ea si quidẽ erat scientia boni & mali, quæ tunc temporis Adamo ignota erat, & soli Deo penitus reseruata, qui mandati & præcepti sui magnitudinem, momentum & pondus ritè nouerat; homini verò corticem tantùm & superficiem, vt ita loquar, indicauerat mortem & calamitatem omnem illi prædicendo, si fructum prohibitum comederet. Forsan si ita minutim eloquutus fuisset Deus Adamum: En vide & contemplare Adam edicti mei pondus & prægrande momentum, si fructum hunc prohibitum violes, non solum

tu ipse certissime morieris & calamitatibus omnibus, quæ mente cōcipi possunt distorqueberis, sed omnes etiam tui sequaces, gnati & progeniti tui morientur & similia patientur; & ego ipse Deus, qui in gloriam & gratiam tui metipsius naturam & essentiam humanam sum assumpturus, moriar & patiar crudelissima & acerbissima suplicij tormenta, quibus me cruciari oportebit ab his ipsis peccatoribus tuæ prosapiæ, quorum infinitus numerus, ob contractam procliuem peccandi indolem in abyssum meæ maledictionis detrudentur æternam: Tu solus ipse fons eris & scaturigo malorum horum omnium si pomum hoc intemerandum tibi prohibitum morsu violes & prælibes, caue tibi ne tantum sceleris & criminis tibi soli rependatur. Si ita scrupulatim præceptum suum dedisset Deus Adamo ponderandum, forsan rigidiùs & religiosiùs obseruasset; si tamen formidine pœnæ & calamitatum harum omnium futura multa, mandatum custodijsset non tantum gloriæ laudis & meriti habuisset, quantum demeruisset. Si solo amore & diuina reuerentia, fructum hunc inuiolatum custodiuisset, postpositis omnibus, quæ in se ipsum & gnatos suos omnes futuros infausta & infortunata casura erant. Amor mandantis in omnibus præceptis primas occupare debet & antesignanus esse meretur, præmium aut supplicia postponenda sunt, vt meritum obsequij iure summo mereamur.

Hæ fortasse rationes, vel potiùs mentis nostræ conceptus, aliquid ponderis & momenti apud doctos demerebuntur, vt inde desumere valea-

mus, cur hæc arbor ſcientiæ boni & mali dicta fuerit, cum in ſe quidquid erat boni & mali futuri in rerum natura, coërceret; illud tamen bonum & malum non ex ſe ipſa & ſui ipſius fonte erat hauriendum, ſed ex libera hominis voluntate, quæ circa ipſam arborem & fructum eius experienda erat, an ad bonum aut ad malum verteretur.

Huius ſacratiſſimæ arboris ſymbolum & rudem quandam imaginem habemus in penitiſſimis Alchymiæ ſecretis; calidum enim innatum mundi ſcientiæ totius mundi arborem in fonte ſuo ſi quis edat morte extinguitur, & infinitis affligitur malis, præparandum eſt, & cœleſtibus donis omnibus perfundendum, & tandem terreſtribus & elementaribus numeribus exornandum antequam eſu & comeſtu idoneum ſit. Quin etiam idem calidum innatum in opere Phyſico antequam coquatur & debito modo præparetur, ſi quis edat morte plectitur cum tamen idem ipſum percoctum & præparatum quibus omnibus morti fuit & ſupplicio, hiſdem ipſis vitæ eſt & ornamento. Non ſecus ac arbor ſcientiæ boni & mali, ante conceſſum & veniam comedendi fructum illius, morti fuit primis parentibus, & nobis omnibus; ſi verò diuinam primi parentes ſpectaſſent licentiam, ipſis & nobis omnibus fuiſſet vitæ perennis decori, vt ex ſuperioribus colligi poteſt.

Calidum innatum mundi arboris paradiſi eſt ſymbolum.

Idem calidũ in opere Phyſico eſt ſymbolum eiuſdem arboris.

Arbor vitæ qualisnam in paradiso voluptatis fuerit, Chymice disquiritur.

CAPVT XVIII.



Væ dicta sunt à patribus sacris de arbore vitæ in medio voluptatis paradiso collocata & constituta, infirmare & improbare in votis nō est, sed potiùs hisce meis Chymicis inuentis stabilire. Fecerat Deus homini paradisum terrestrem, quem rebus omnibus totiusque naturæ creatæ delicitijs in gratiam & amorem ipsius hominis exornauerat, & illi custodiendum tradiderat, vt ibi vitam fœlicem & omni ex parte beatam in longæuos degeret annos, & ne quid delitiarum & voluptatis deesset, cum nobis omnibus & vita æterna & perennis sit rebus omnibus pretiosior & gratior, arborem vitæ creauerat Deus & in medio paradisi collocauerat, vt eius esu, æternum viueret homo.

Cur arbor in paradiso collocata.

Arbor vitæ hinc dicta est, & ab ipso Deo tali & tanto nomine insignita, quod copiosissimè Deus ipsi arbori fortassis vitam immisisset; fructus si quidem eius arboris vsu vitam sibi perennem fecisset homo, in ipso enim Deus quidquid erat vitæ per totum huius mundi ambitum forsi-

tan absconderat, vnde in medio paradisi collocauerat, vt vita vndiquaque, tanquam centro suo ipsi arbori conflueret: Opinari si quidem possumus & mente concipere, arborẽ hanc vitæ, fontem vitæ & centrum esse totius naturæ, cum vna & sola fuerit & in medio paradisi constituta, & fortasse in medio fontis complantata, de quo dicitur secundo capite Geneseos, fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ, vt terra germinaret & fructus produceret suos absque pluuia & irrigatione cœlesti, & absque cultura & industria hominis. Vapor enim ascendens ex illo fonte erat terræ vniuersæ, spiritus vitæ & germinationis, quo cuncta prodibant: maximæ quidem erat efficaciæ & virtutis ille fons, quidquid enim iam potest vniuersum cœlum, & vniuersus aëris ambitus spiritibus vitæ plenus, & turgens ad terram fœcundandam, tunc temporis fons ille seu vapor è medio terræ ascendens, operabatur virtute illa innata sua, quam ab ipso creatore acceperat.

Cur arbor in medio paradisi.

Virtutes fontis in cuius medio arborẽ vitæ constitutam fuisse author opinatur.

Non absimili ratione, arbor hæc vitæ, poterat coërcere, & intra suos cancellos continere, quidquid erat vitæ, toto orbe diffusum, vt hinc tanquam ex vero & vnico fonte naturali, diuinitùs scaturiente, vitæ fomes & fulcrum exiliret inexhaustum, & immensum ad vitam hominis perpetuandam. Suscepisset enim homo ex arbore hac, fructus vitæ perfectissimæ hoc est in gradum vltimum perfectionis elaboratæ, ad vitam sustentandam, & fomitem vitæ restaurandum annorum quamplurimorum præterritorum vsu detritum & ferè extinctum,

donec Deus è paradiso hoc terrestri, hominem in paradisum cœlestem supra cœlesti fœlicitate beandum transtulisset, vbi spiritu vitæ elementari non indiguisset ampliùs, cum spiritu vitæ diuino vndiquaque diffusus fuisset, cuius fomes perennis est & æternus, nesciens senectutem, debilitatem & infirmitatem, sed vigorem, robur, potentiam & firmitatem felicem ac beatam perenniter stabiliens ac firmans.

Arbor vitæ similis erat lapidi Physico.

Hæc arbor vitæ nobis tunc temporis fuisset omnibus, ad instar lapidis Physici; opinantur enim fere omnes Philosophi, lapidem Physicum ritè præparatum & perfectè decoctum, omnibus vitæ malis certissimam & tutissimam esse medelam, & vitæ restaurandæ perquamoptimum fomitem diutissimè durantem, si saltem non perennem; humidum enim radicale mundi cum calido innato & sicco radicali vitæ elementaris, ita in ipso lapide inter se compacta sunt & coagulata, vt difficilem admodum patiantur discordiam & interitum. Vnde humidum nostrum & calidum innatum refocillatum hoc peculiari & tam raro & optimo alimento, similem sibi acquirit nexus & harmoniæ compaginem & vinculum, quo tueri se queat, aduersus ea omnia, quæ eius harmoniam dissoluere tentant. Quòd si in presentiarum peccatis obruti, & paradiso terrestri eiecti, aliquid adhuc habeamus per gratiam diuinam, quod nobis adumbrantè & figuratè repræsentat virtutes illas admirandas arboris vitæ, quas Deus ipse rerum omnium summus opifex, perfectissimè in ipsa arbore cumulauerat, non est à mysochymicis subsannandum &

contemnendum quod de arbore vitæ præsenti capite, ex Chymico fonte desumptum est; nam hoc omne, rationi absonum non videtur sed sacris patrum conceptibus consentaneum, vt probabitur inferiùs.

Paradisum cœlestem, supremam beatitudinem, & quietam bonorum omnium colligit Alchymia natura monstrante viam.

CAPVT XIX.



ARADISVM cœlestem, supremam & summam fœlicitatē, vitam æternam, multaque alia similia futuræ vitæ mysteria rationibus & argumentis probabilibus technologicis ostendere velle, vesanæ potiùs mentis est, quàm sapientis. Nam cum hæc omnia fidei Catholicæ & Christianæ commissa sint; Sufficis nobis probare non posse, nam quæ possunt sensibus vel externis vel internis aliqua & certa arte subijci, fidei nō committuntur. Quapropter ne opinentur misochymici Alchymiam velle articulos fidei Christianæ abrogare, nec solum infirmare, dum paradisum cœlestem, supremam fœlicitatem & vitam æternam multaque alia mysteria, naturali quodam & rudi speculo commonstrare tentat, quia id non agit Alchymia, vt intra cancellos & limites suo-

rum argumentorum & technologicarum rationum coërceat, quidquid eſt vitæ futuræ, & paradiſi cœleſtis ſuper cœleſte technophion, ſed vt ex vmbris naturalibus, lucem illam inacceſſibilem aliquatenùs noſtro debili & infirmo concipiendi modò, colligere, & cogitare valeamus, & τεκμήρια certa, & quaſi proprias huius rei notas, adumbratas tamen & rudes habeamus ex multis quæ in Chymia facienda nobis omnibus ſole clariùs eluceſcunt, quibus vitam æternam & paradiſum cœleſtem & Deum ipſum colligere facile eſt; omnibus ſiquidem cum datum ſit ex natura & ſorte, in ſui tendere conſequantur, ſequitur inde hoc centrum paradiſi vices gerere, & præ ſe ferre, cum paradiſus nihil aliud ſit quàm locus, in quo creaturæ intellectuales ſuprema & vltima eſſentiæ ſuæ perfectione dotantur, ſumma fœlicitate, eaque immutabili, perenni & indeſinenti bono & fauſto, ſingulariter condecoratus & exornatus, & ſuper cœlectibus incõprehenſibilibus præmunitus inexhauſtis muneribus & donis.

Sal metallicum in opere Phyſico demonſtrat paradiſum.

Huius ſupremæ perfectionis ſymbolum, & paradiſi ſeu loci huius perfectiſſimi vmbram quandam nobis exhibet Alchymia in opere magno Phyſico, qui nobis naturalis ſuprema & vltima perfectio eſt, vbi ſal metallicum in centro ſuo naturali puro, ab ipſomet tantopere expectato, quieſcit, & vltimam & ſupremam, quam cupit habere, conſequitur perfectionem, vbi corpore potitur incorruptibili, infinita quaſi, aut ſaltem quanta licet facultate & energia prædito, ita vt ipſi talis perſiſtendi locus & agendi potentia & facultas, ſit illi paradiſus terreſtris & naturalis in

quo ſuprema & vltima ſua perfectione, quam ex natura expectare poterat fruatur & potiatur. Si hæc datur ſuprema & vltima in rebus naturalibus perſiſtendi facultas, quæ illis ſupremum bonum eſſe videtur, & ab arte humana via, naturali & tramite ſecuto, id perfici queat, quonam mentis noſtræ biuio ambigere poſſumus, Deum ſupremum Alchymiſtam non tandem homines pios & fideles ad centrum vltimum reducere velle, vt in eo quieſcant, & ſupremum perfectionis gradum conſequantur. Tantæ ne eſt nobis ſocordiæ & veſaniæ, vt quod in rebus omnibus fieri contigit humana operante induſtria, id ipſum, & multo perfectiori modo, in nobis ipſis, ipſomet moliente Deo, non fieri & perfici tandem contingat.

Quòd ſi homines non ſecus ac reliqua rerũ naturalia perennem, permanentem & incorruptibilem habeant materiam quæ eſt ſal iſtud centrale, & materia rerum prima & vltima, quæ vbiq; perennis eſt & æterna, ſi extra materiã hanc perpetuam & æternũ perdurantem, formam præterea habeãt immortalem, diuinam & ſupercœleſti ſemine ſatam, vt materiæ perenni tandẽ perẽniter adhæreat & perfectiſſimè cõnectatur. Si materia æternitate & perennitate dotetur, quidni etiam formã aliquam dotari cõtinget ſimili æternitate. Dari in rerũ ſerie cõcedimus extra Deũ materiã incorruptibilẽ, dari etiã pari modo & formam aliquã eamq; intellectualẽ nobilitatis & præſtantiæ materiæ cõpotẽ neceſſe eſt, ſi hæc ambo incorruptibilia ſint nõne tãdẽ incorruptibiliter & perpetuis & indiſſolubilibus inter ſe vinculis & nexibꝰ

copulabuntur, & deuincientur vt tandem foueantur & potiantur innato suo & procliui inter se coniungendi perpetuò nexu, aut frustraneus esset & vanus, mutuus & reciprocus eorũ amor, vt videre licet capite 22. huius opusculi. Quòd si Deus rebus inferioribus & sublunaribus materiam quandam perennem & perpetuam communicet virtutibus & agendi facultatibus insignem & singularem, & ita quadamtenùs fœlicitate quadam quamuis imperfecta & rudi dotatam & exornatam. Nonne procul dubiò certissimè credendum erit, ipsammet Deum homini fideli & pio impertiri debere perfectissimam & numeris omnibus absolutam fœlicitatem, eámque supercœlestem & supernaturalem, locúmq; etiam daturum Deum in quo fœlicitate illa suprema & summa, æternum fruiturus est homo, vt ipse omni ex parte æternus est; cum autem illa suprema & summa fœlicitas soli Deo comes perpetua sit indiuidua, necesse perinde est, Deum ipsum, totum illum locum & prægrande spatium manifestè occupare, & virtutibus suis inenarrabilibus adimplere hospites omnes tanti loci beatos, & omni ex parte fœlices constituere. Nam vbi Dei compotes sumus, ibi summo bono potimur, & supremam & vltimam beatitudinem consequimur.

Præterea cum mors communis & ordinaria æquo pede pulset pauperum tabernas regumque turres, non tamen ipsos, ad nihilum reducit; nõ datur enim in rerum serie vlla nihili via, nescit anima hominis mortem seu nihili viam, perpetua est & immortalis, vt probabitur inferius. Si

ergò nesciat mortem & nihili viam, vbi nam locorum collocabitur, postquam diuortium cùm corpore fecit, si omnia sponte sua feruntur in centrum suum, ex quo educta fuerunt. Animam rationalem, piam & fidelem in Deum ferrî necesse est, cum centrum suum ad quod tendat, & ex quo educta est, sit Deus; si verò impia sit & mali contagione corrupta ab hoc centro reijcietur tanquam à summo bono, & in centrum huic oppositum & aduersarium propelletur.

Anima immortalis est.

Si ergo ad centrum suum tendat & vergat, vt id innatum & naturale res habent omnes, si Deum spectet & ad ipsum solum dirigatur, vt ad magnetem ferrum, paradisum admittere, necesse est, in quo homines pij & fideles summo fruentur bono, & suprema & vltima fœlicitate donabuntur in perpetuas æternitates, gratia & meritis Christi, qui solus vt antea declaratum est, vias omnes & semitas cœli inuias planas, triuiales & tritas fecit & nobis apperuit, in quo solo gaudere & lætari summæ est & supremæ voluptatis, vt sequentibus capitulis legere est.

Purgatorium ignem quo depurantur animæ fidelium antequam cœlo beentur, colligit Alchymia ex ſeparatione puri ab impuro.

CAPVT XX.



ERTÒ certius eſt, animas intellectuales varijs ac diuerſis modis poſſe contaminari & præcipuè vitijs & maculis corporeis: corpus enim & anima, adeò ſtrictis mutuis & reciprocis inter ſe ligantur vinculis, vt quod vni illorum commune eſt, familiaritatem quandam & amicitiam,cum altero contrahere neceſſe eſt; Ita vt in indiuiduo vnitatis vinculo inuicem copulata & coniuncta, viuant & perſiſtant boni & mali participia. Itaque cum corporis partes, læduntur, & lædi pariter aliqua ratione, & mutuò vulnere peti animi partes videamus; & ſic vice verſa, alternis affligantur malis, & reciprocis fruuntur bonis, corpus & anima. Id autem habent ex innato hoc peculiari fonte, quod pars ſenſibilis pronà & procliuis ſit ſenſibilibus ſeu elementaribus bonis & inferioribus pondere ſuo ſecum trahat rationem ſeu partem ſuperiorem verſus hæc bona inferiora ſenſibilia, ob rebellẽ appetitum noſtri naturam & eſſentiam, ab incunabilis ortam & nobis ingenitam, ratione peccati originalis,cuius labe iuſtitiam originalem, virtutum omnium & bonorum noſtrorum om-

Concordia corporis & animæ.

nium fontem amisimus, & sic donis omnibus supernaturalibus destituti, peccato originali delibuti, nihil nisi corruptionem & rerum sublunarium & terrestrium vappam, cariem & amurcam redolemus, quorum omnium plena sunt omnia hæc inferiora.

Alchymia ostendit esse maximam corruptionem in sublunaribus.

Alchymia huius rei fidem facit, & experientia certissimos & veros ostendit effectus in puri naturalis disquisitione, in qua elementorum recrementa, mixti naturam & essentiam non redolentia separantur & seponuntur extra puras mixtorum partes, quæ solam ipsorum naturam & essentiam constituunt, & præcipuè in depuratione harum trium substantiarum, quas spiritus animæ & corporibus nomine insigniunt id manifestum & propatulum omnibus faciunt. Animæ siquidem & spiritui quæ sunt partes misti ætheris & ignis plenæ & turgidæ & cæteris omnibus puriores, tantùm est heterogenei recrementi & fœculentæ spurcitiæ, quantum ex ipsamet altera parte, quæ corpus dicitur, secerni potest. Auro etiam & pretiosissimis omnium lapidibus, Alchymia duce, tantum est lutosi recrementi, & partis impuræ, auri & lapidum prætiosorum essentiam & naturam non sapientis, quantum facile creditu non est, nisi his qui rei gestæ speculatores fuerunt.

Anima & spiritus in mixtis tanto replentur excremento, quanto corpus.

Quantitas excrementorum causa est corruptionis mixtorum.

In omnibus reliquis rerum naturalium mistis, quantitas copiosa excrementorum reperitur, cuius solius rei causa, tota natura in præsenti rerum serie & statu constituta, labilis caduca est, & fluxis & labentibus statuminata suspenditur fulcris, in corruptionis & alterationis volutabro

perenniter se deuoluens, vt se tandem varijs & iteratis mortis lauacris, ab ipso corruptionis barathro emergat & in puro quiescat. Quod tandem consecutura est in vltima rerum periodo, vbi omnia & singula vniuerso & singulari incẽdio conflagrabuntur, & vltimæ mortis seu corruptionis & alterationis vltimas & postremas vices patientur, vbi Deus summus rerum omnium opifex, purum omne ab impuro separabit. Purum seliget, & impurum in abyssum æternæ maledictionis suæ proijciet; tunc temporis natura puram nitidam & ab omni labe vindicatam consequetur materiam incorruptibilem, permanentem, nullis postmodum alterationum flagellis obnoxiam & proclinem, sed in suo puritatis & nitoris statu perenniter quiescentem. Hic autem status nobis certissimè spectandus decuplo præsenti hoc rerum statu præstantior & perfectior erit: Deus siquidem vt purissimus est rerum omnium, sic etiam purissima efficiet sua opera omnia, vnde perfectissima & numeris omnibus absolutissima fruentur essentia, quæ orbem hunc occupabunt elementa, at non nisi depuratione illa diuina & supernaturali, quæ diuinitùs omnibus mundi elementis tunc temporis continget.

Calcinatione vniuersali omnia fiunt pura & incorruptibilia

Quod si anima intellectualis vitijs scateat nõnullis & maculis peccato contractis, nitor eius obtenebrabitur, nõne æquo iustius est, antequam cœlo beetur, Deo fruatur, qui totius nitoris & puritatis fons inexhaustus est, maculas illas lucẽ suam & splendorem obtenebrantes deponere & sua excutere substantia. Corpus si quidem illius animæ, vnà cum cæteris rebus in depuratione

Si corpus purificandum sit, etiam est anima purificanda ratione illorum concordiæ.

rerum

vniuersali diuinitùs contingente funditùs depu-rabitur, & purum & clarum & nitidum exsurget ex obscuro mortis sepulchro. Quod si corpus præniteat splendore & luce, nonne etiam animæ maioris & rutilantioris animi capaci conueniet prælucere radiosque lucis fundere, vt corpori æqualibus & mutuis connectetur in æternum vinculis. Quid opus est corpora depurare, & munda facere, ni pariter animæ puræ fiant, & similem & æqualem secundum naturam suam, adipiscantur munditiem. Beatitudini ac fœlicitati supremæ dissonum valdè foret corpus mundum & purum, animæ impuræ deuinciri & copulari, nec animam puram & lucentem, corpori putrido & fœtido, coniungi cœlesti quadraret gaudio. Sat temporis hanc impuram & sordidam passa sunt coniunctionem, necesse tandem erit, diuinitùs hanc deponere, & perenni & æterno perfrui gaudio, indissolubilibus & æternum durantibus nexibus inter se deuincta.

Decet naturam tandem gratia diuina & supernaturali, fine sua potiri, ad quam totis viribus anhelat; hanc autem finem statum fixum & permanentem, ab omni corruptione & alteratione seuinctum appello: si verò natura conuerteretur hisdem & similibus, quibus iam vtitur vinculis & nexibus, in perpetua alterationum & corruptionum lutosa fœtutina versaretur, spectat rerum aliam ac diuersam seriem in qua summa quiete perfruetur, & in vtramque dormiet aurem. Et hoc omne manifestum erit in resurrectione super naturali fidelium omnium, in qua partes puræ & mundæ ex omni parte factæ, tum

animæ tum corporis, denuò copulabuntur & ſurgent in indiuiduum omnino perfectum & completum, mortem nullam amplius ſciens ac timens, ſed vita perenni eaque felici ac beata, dotatum, & ſupercęleſtibus donis omnibus ac diuinis exornatum.

Poſt reſurrectionẽ homo immortalis erit.

Hæc omnia cum tandem contingere, & obuenire fidei ſit Catholicæ, eiuſdem eius erit credere, purificationem fieri debere animarum & corporum antequam vltima illa vnione ſeu vinculo & nexu connectentur. Nam corpus & anima inuicem reciprocas & mutuas habent propenſiones, quarum ope gaudent, & ſummopere exoptant inter ſe connecti; nequeunt autem gloriam ſupremam conſequi & cœlum ingredi & coram Deo ipſo, ſedes firmas & æternas ſtabilire, quin ſupremam & vltimam habeant ambo puritatem.

In reſurrectione corpus & anima priùs purificantur quam fiat illorum vnio.

Purificationem ergo ſpectant & nitorem corpus & anima & vinculum poſtmodum nexum perpetuum exoptant. Eſt enim anima veluti & corpus, ſi ſeiuncta inter ſe contemplemur, quid valde imperfectum & mancum, cum ambo in indiuidui vnius perfecti & abſoluti compoſitionem condita ſint, extra cuius compagem, mutilatum quid ſonant lacerum & nondum abſolutum, etſi nomine & ratione partium, ſubſtantiæ ſint omni ex parte abſolutæ & perfectiſſimæ.

Quòd ſi purificationem & nitorem hunc ſpectandum nobis omnibus, in hac miſeriarum valle conſequi difficili admodum vi valeamus, ob vitam noſtram peccatis & vitijs obnoxiam. Quid ni opus erit poſt mortem, eamdem purifi-

cationem efficiendam fore, in his omnibus qui in Christo moriuntur, nullo peccato mortali contaminati, sed leuibus, venialibus maculis infecti & obtenebrati, à quibus se expedire & extricare par est, antequam omni ex parte beentur. Hinc purgatorium ignem & locum deletitium dari continget, in quo animæ fidelium antequam cœlo beentur & supercœlestibus & diuinis exornentur donis, vltimam sortientur perfectionem tolerando & demerendo, cum sanguine agni totius Ecclesiæ Romanæ vnico thesauro, quidquid est vltimæ & supremæ perfectioni consonum & idoneum: quod Ethnicus Virgilius nulla fide Christiana & luce illuminatus satis appertis & claris exprimit versibus, qui procul dubiò omnibus Christianis hereticis purgatorium ignem negantibus erunt opprobrio & crimini, crassi & stupidi eorum erroris, sic enim sexto Æneidos sub finem canit,

Locus & ignis est purgatorius.

Virgilius ostendit esse purgatorium

Quin & supremo cum lumine vita reliquit
Non tamẽ omne malũ miseris nec funditùs omnes
Corporeæ excedunt pestes: penitúsque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infestum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patitur manes, exinde per amplum
Mittitur Elysium, & pauci læta arua tenemus
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum atque aurai simplicis ignem.

Hæc omnia Virgiliana verba, quadrant & conſonant ſacris quæ ſcribuntur in paginis, de hac ſingulari animarum purificatione, qui approximant mihi, approximant igni inquit Dominus: Sanctificauit te Dominus in igne ardenti: tranſiuimus per aquam & ignem: & multa alia repcriuntur in ſacris lineis, quæ purgatorium illum ignem, & deletitium illum locum confirmant & aſſerunt; ita vt nullo pacto ambigendum ſit, hanc eſſe totius veritatis ſphæram, quam Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia diuino pneumate fidelibus ſuis omnibus Chriſtianis compactam expoſuit contemplandam & fide credendam; extra vmbras & figuras, quæ ex varijs ſcientijs & præcipuè & Alchymia deſumi poſſunt in teſtimonium & veritatem huiuſce mirandæ rei, quæ nos docet impurum puro nullo pacto poſſe iungi & connecti, ante illius purificationẽ, & donec nihil extraneæ & barbaræ fecis habeat admiſtum.

3. Malach. Pſal. 45.

Alchymia exempla & figuras proponit quibus æternum damnatorum tormentum & ſupplicium colligi poteſt.

CAPVT XXI.

CERTVM & verùm vidimus & probauimus ſuperiori capite animas intellectuales quacumque labe etſi leuiſſima contaminatas & vitiatas, debere mundari, antequam cœli

& supremæ fœlicitatis participes fiant ad quam tanquam ad supremum bonum naturali quodam instinctu feruntur piæ & Deo fideles animæ. Nihilominus tamen si maculæ & vitia & corruptiones, quibus inficiuntur animæ intellectuales, sint immensæ & inexhaustæ, hoc est pendeant ex peccatis mortalibus(licet enim mihi, peccata mortalia corruptionis & maculæ nomine insignire, cum peccatum inficiat animam & contaminet) multò tamen penitiori tabo, ac conspurcant maculæ vestes, & nitida cuncta, non possunt, ita facile dilui, cum peccata mortalia Deo ipsi directè opponantur, & perinde sint infinitæ & immensæ malitiæ. Nihil enim directè Deo opponi potest cum Deus ipse infinitus sit & immensus & supremum bonum, quin id ipsum quod opponitur supremo illo bono, sit infinitæ & immensæ malitiæ & improbitatis. Si autem hæc peccata sint infinitæ immensæ & inexhaustæ impietatis & nequitiæ, poterit ne dari eorumdem peccatorum temporanea purificatio, si meritis Christi, ritè applicatis secundum normã & legem Ecclesiæ suæ, in hac militante vita id non contingat.

Si sal metallicam infinitis & immensis scateret excrementis & lutosis spurcitijs: daretur ne tempus finitum & determinatum, in quo summus spagyricus, posset illud sal à tantis & inexhaustis recrementis repurgare: Si Cineres Kali plantæ quibus vtuntur Fabri vitrarij ad vitrum excoquendum, indelebilibus & perpetuis obtenebrarētur maculis, subtilis & acutus Faber vitrarius, oleum & operam, imò lignũ & ignem

penitùs perderet in excoquendis illis cineribus vt inde vitrum candens & nitens surgeret, incassum ligna foco subijcerentur cum semper cineres illius plantæ obscuri & tenebrosi permanerent, nec vnquam rutilantis vitri naturam induerent, sed terræ opacæ molem inutilem funderent.

Homines omnes quotquot sunt terreæ molis sunt, eamque molem ipsam ipsimet, singulis vitæ momentis maculis indelebilibus & putrido tabo inficiunt, cum tamen Deus terram puram, virginem & ab omni labe vindicatam protoplasto homini indiderit quam ipse vitiauit & deturpauit violato diuino præcepto. Hoc autem contractum vitium, in nos omnes iure originis & Adamicæ prosapiæ descendit, quia tunc temporis omnes homines, & tota humana species in ipso solo homine coercebatur; vnde iustum est & æquum deturpata & vitiata humana specie, indiuiduos omnes homines eiusdem speciei vitiari, & simili labe conspurcari. Addam etiam quod singulis vitæ momentis, peccata peccatis, vitiáque vitijs agglomerent homines eorumque quãplurimi sic desinant & vita fungantur peccatis vitijsque mortalibus obruti, ita vt confirmentur in peccandi in Deum ipsum voluntate, & prauo cacoëthe, in ipso vltimo vitæ limine, in quo Christi & mutata voluntate, contrito corde possent demœreri peccatorum veniam, & æterni supplicij euitare & effugere tormentum. Nihilominus cum hæc nolint & flocci pendant infinita illi Christi redemptoris merita, prauo illo peccãdi cacoëthe in malum ipsum & vitium penitùs

immersi, fiunt malum ipsum & vitium, & ita summo bono Deo purà opponuntur, & oppositorum cum sint contrariæ & aduersæ facultates & energiæ, oppositis etiam & aduersis Deo fruũtur malis; si Dei sint gaudia æterna, & supremæ fœlicitates oppositi & aduersi, erunt tormenta & supplicia perpetua, & supremum & vltimum mali genus.

Non ergo mirum est si damnatorum demerita, pœnas perennes & tormenta perpetua, eaque infinita sequantur; malum enim eorum infinitũ est & ita grande, vt nullis expiari possit tormentis & ignibus, quia malum eorum omnium vna cum anima perpetuum factum est; ideò paribus & condignis afficiuntur tormentis, quia malum infinitæ & immensæ malitiæ & nequitiæ, vt supremo bono Deo purà, aduersum & contrarium supremæ improbitatis debet subire tormentum, vt supremæ iustitiæ vigeat & floreat summum ius. Sic inferos habemus depictos, qui loci sunt quibus detinentur clausi supremis supplicijs addicti hi omnes, qui in hoc misero militantis æui cœlo Christi non secuti sunt insignia, nec stipendijs eiusdem Christi voluerunt militare; sed voluptatis omnia stupro & nequitiæ vitio conspurcati & contaminati vitam degere genialem spretis Christi & Ecclesiæ suæ mandatis, quibus obsequi noluerunt. Vnde consonũ est supremæ iustitiæ vt pœnas tanti sceleris æternas luant & perennes vt & supra modum beẽtur, qui militantem Christum secuti sunt, & belli Christiani passi sunt angustias, hi supernaturaliter fœlices & omni ex parte beati Deo

vt supremo bono fruentur, quem secuti sunt; illi verò Diabolo cuius asseclæ fuerunt potietur, & ita malo erunt addicti æterno. In primo supremum adhæret bonum, in secundo & vltimo supremum consistit & vltimum malum, hos suprema beat fœlicitas. Alios supremum tormentum & æternus opprimit languor, & vt iustitiæ bonos cœlo beare, & diuinis exornare donis, eiusdem etiam erit iustitiæ malos carcere cohibere, & supplicijs torquere condignis. Virtus & pietas & quæ Dei sunt Paradisum fecerunt cœlestem: vitium Dei sunt & nequitia & quæ diaboli sunt inferos dederunt. In primò virtutis & pietatis pensantur munera, in secundo vitij & nequitiæ puniuntur portenta, & vt certissimum est, bonos esse, sic etiam certissimus erit eos ipsos expectare paradisum, & vt certò certiùs est, malos esse, sic etiam nulla dubij lance, ambigendum est inferos esse, vbi malorum omnium castigantur nefaria scelera, & atrocia facinora.

Fides nobis hæc dictat, Ratio prædicat, & Alchymia figuris quibusdam & vmbris, ex suis operibus elicitis & assumptis indigitat in quibus dum rerum naturalium mista in vltimam & sui puram & candidam, & ab omnibus recrementitijs & reiectaneis vitijs vindicatam materiam reducuntur. Si materia illa nihil habeat salis puri & fixi, omnis abit & tota in terram substantiam perpetuis ignibus consecrandam & deuouendá, vt vitrescat & perduret in æternum Rore salis & vitæ priuata & emuncta; sic & nefarij & scelerati homines, qui peccatis suis & vitijs, vitam suam adeò contaminarunt vt mortis sigillum

Materia quæ nihil habet salis puri & fixi ad mortem æternam damnatos representat.

potiùs habeant, quam vitæ ſalem. Ita virtutis pietatis deique amiſerunt effigiem & ſimulachrũ vitijque & peccati retinuerunt ſtigmata, vt toti reiectandi ſint & terram imitentur vitream ſpiritu omni vitæ denudatam, quos Deus perpetuis, & inextinguibilibus conſecrabit ignibus, vt in vitium & malum quod elegerunt penitùs indurentur, vt terra ipſa ſpiritu vitæ emuncta, liqueſcit in vitrum flammis ipſis & ignibus æternũ durabile. Sic ipſi liqueſcent in vitium & malum æternum cruciabile.

Contemplare & perpende quæſo peccator in biuio hærens quam ſecuturus ſis viam virtutis an vitij. Extrema virtutis Paradiſus occupat, poſtrema verò vitij inferi claudunt, ſtridor dentium & ſummus luctus hiſce ineſt poſtremis vitiatis gaudijs. Meditare meditare quæſo, quid tibi ſit vtiliùs & beatiùs, aut in centrum tuum innatum & naturale pondere mandatorum diuinorum exactè obſeruatorum deferri Chriſtum ſequendo, teque ipſum abnegando, & ſic perennes & perpetuas fœlices ac beatas demereri quietes, ac otia inanibus & futilibus diſruptis tricis, aut ex virtutis pietatiſque centro emergere, in vitij & voluptatis improbæ marginem ex quo præcipitem rues in æternum & immenſum vitij & mali barathrũ, in quo vitij & mali perpetuas lues pœnas. Quid meliùs & fœliciùs tibi ſit inoffenſo rerum ſecundarum curſu, integer vitæ ſceleriſque purus, Chriſto inſeruite & eiuſdem voluntati morem gerere. Et ita Chriſto frui & bonis ſuis omnibus immenſis potiri, quam voluntati tuæ adhærere, & vitam conſpurcare momentanea blandimen-

torum vitijs, & ita perpetuis alligari eorundem vitiorum ſupplicijs & tormentis. Æternum eſt hoc naturæ diuinæ fœdus, virtus habet præmiũ, tormentum verò vitium torquet, quis ergo duro ſimillimus ſaxo, vitijs torpere velit, vt ſtimulis eius agitetur æternis, & quouſque grauis iſte veternus animos hominũ occupabit ne præmijs virtutum pietatiſque muneribus accendamur ad cœleſtia perreptenda, elata elatum poſtulāt animum, depreſſa depreſſum; nihil verò eſt animo humano elatius, quæ ſuper cœlo ſunt & Deum ipſum ſapiunt ſapere debet; quæ verò terram & vitiorum redolent mappam ſpernere, imò effugere vt innatam macte virtutis ſuæ ſequatur indolem.

Animam humanam perennem & immortalem eſſe colligit Alchymia multis argumentis ex natura deſumptis.

CAPVT XXII.



FACILI via immortalem animam oſtendit Alchymia ex præmiſſis appertis myſterijs, nam quid eſſet vtilitatis & boni, Paradiſus & cœlum, quid tota & vniuerſa natura, quid purgatorius ignis, quid inferi prodeſſent. *Anima eſt immortalis.* Si anima hominis caduca & mortalis eſſet; & cum reliquis labantibus caſura rebus, Deus om- *1. Ratio.*

nium opifex & rerum omnium verissimum ens, & per se subsistens, à quo solo & vnico omnia subsistunt; non sibi hæc omnia fecit, quia his nec indiget, nec indigebit vnquam, sibi omnia sunt, & si per voluntatem suam hæc visibilia, ex nihilo per creationem educta sint, in gratiam creaturarum intelligibilium facta & creata sunt. Qua rationis lance ponderare possumus, naturam in genere esse perennem, cœlum & lumen eius esse inextinguibile & naturam hominis, cui hæc omnia seruiunt, mortalem esse & caducam; si hæc ita forent præpostera esset rerum series, seruire, esset dominari præstantius, domus esset quid hospite nobilius. Si natura vniuersa & cœli ipsi, obsequio hominis nata sint, hæc omnia homine viliora multò esse arguit istud cœli & naturæ in homines obsequium: quod si quandam perennitatem in cœlo & natura ipsa cõtemplari liceat, fortiorem multò & præstantiorem immortalitatem in homine ipso, quàm in cœlo introspicere licebit, qui perennes illas cœlorum domos habitare debet.

Cœlum vnà cum vniuersa natura, in hunc potissimũ tendit scopum, & quidquid habet actionis hùc dirigitur & fertur, vt animæ humanæ cõmodo inseruiat; si verò illa humana anima tandem periret & in cahos ac nihilum abiret, nequicquam prodesset illud cœli & naturæ vniuersæ continuum diurnum nocturnumque opus, & incassum esset eorum labor, quod sapienter imaginari non potest, cum omnia propter finem eumque verum sint actura. Si ergo homo periturus esset, frustraneus esset naturæ *2. Ratio.*

labor, cum pro re fruſtranea & peritura inſumeretur. Nec obiectandum eſt naturam ſibi ipſi ſeruire & propterea nullo pacto fruſtraneo vti opere, dum circa hominem operatur, & vitæ eius commodo inſeruit; homo enim pars naturæ eſt, & quidem nobiliſſima pars. Itaque ſi natura inſeruiat homini in ſe ipſam & partem ſui, fundit & impendit actionum ſuarum gratiam & vtilitatem & perinde caſſi & vani non ſunt eius labores cũ in ſe ipſam rependãtur. Hæc objectio ex Atheiſmi emergit fonte, quo aſſeritur & inſulſè diſputatur, nihil in tota rerum ſerie reperiri, præter naturam ipſam quam cernimus viſibilem omniáque reduci in ipſammet naturam, & ex ipſa ſcaturiunt, & originem habent, quod capitulis præmiſſis ſatis clarè confutauimus; & præter naturam viſibilem, Deum eſſe & creaturas intelligibiles dari probauimus, quibus ſolis laudare Deum, eique ſeruire præmium eſt & gloria. Tota hæc natura & mundus hic vniuerſus, domus eſt & locus, in quo laus ipſa, gloria & obſequium fieri ac reddi debent, vaſtiſſimum hoc cœli & aëris ſpatium, templum eſt, in quo ſacrũ iſtud & iuſtum chariſterium celebrandum habent homines omnes, hi ſoli cum ſint rationis & intellectus capaces huius ſacræ laudis gloriæ, & obſequij mixtæ ſeu ſacerdotes eſſe poſſunt.

3. *Ratio.* Athei qui hæc vana & impia figmenta opinãtur, Deum ipſo homine imprudentiorem ſupponunt, dum vaſtam hanc domum, prædiuitem & omnibus præmunitam ornamentis conſtructam vident, eamque volunt eſſe, ab omnibus ſeruis miniſtris ac famulis vacuam ac deſertam, qui do-

mino tantæ vastissimæ & ditissimæ domus obsequantur; certissimum enim est, nihil in tota rerũ serie reperiri posse, quod Deum colere venerari & adorare valeat, præter hominem ipsum cui potissimum competit erga Deum cultus & honor. Reliqua cuncta creata metaphoricè dicuntur laudare Deũ vel tacitas docere laudes, quod miris eorum operibus ostendant hominibus, & sint ipsis opprobrio, quod Deum non laudent architectum horum mirabilium omnium visibilium: cumque Deus immortales perennes ac perpetuas expostulet laudes honores & glorias, immortalis perennis ac perpetuus esse debet qui laudas has perenniter celebraturus est.

Solus homo in vniuersa natura Deũ laudat.

Præterea qui animam humanam caducam & mortalem esse censent sibi ipsi perduelles sunt, & infensissimi hostes, cum ad nihilum reduci tẽdant cuius iura & dominium vetant omnia eiusque nesciunt leges; ipsi tamen lapidibus ipsis rudiores & stupidiores, in ipsum nihili barathrũ immergi conantur, dum hæc figmenta sibi vera persuadere volunt. Nihil enim est in tota rerum natura quod quærat hanc nihili viam imo cuncta & singula immortalitatem cogitant, & nihili semitas abhorrent, vnde tota natura perennis est, & immortalis, cum singula cuncta, habeant quid perenne & immortale, & homo cæteris omnibus immortalitate & perennitate prælucere debeat, & potissimum cum in eo vigeat anima, cui præcipuè competit Deum venerari & adorare, non corpori ipsius nisi quatenus indiuiduum vnum constituere nata sunt ambo, quod Deo soli seruire & obsequi natum etiam est, & à Deo creatum

4. Ratio.

ad gratias & laudes perenniter ei celebrandas & habendas. Sic Alchymia apperit & ostendit animam humanam immortalem esse, quod operibus suis commonstret, dari in rerum natura materiam perennem & immortalem, vt ex earum coniunctione surgat indiuiduum perpetuum perenne & immortale atque etiam intellectuale, vt creatoris & summi Dei contemplari & admirari queat, energias & infinitas virtutes eásque adorare & venerari, vt ipsemet Deus perenniter & perpetuo, summo corde venerari meretur.

Probos animi mores docet Alchymia, & rectam vitæ humanæ rationem.

CAPVT. XXIII.



SI notitia suimet ipsius vitæ præsentis & futuræ, officij & pietatis erga Deum & humanitatis erga proximum cognitiones & theoremata possint & valeant aliquid, ad probos animi mores edocendos & ad rectam vitæ humanæ rationem dirigendam, fateri necesse est Alchymiam esse verùm & legitimum naturæ specillum quo hæc omnia ante oculos exposita habemus.

Ex notitia si quidem naturæ vniuersæ, habetur & notitia rerum singularum, qua via regia ducimur, ad vitæ nostræ ornamenta medullitùs persectanda, virtus & bonum omne est præci-

puum vitæ nostræ decus, & eatenus omnimodè consequendum. Alchymia spectat & ardet ornamenta & decores corporum, quòd in his perfectum quid & summum esse cognoscat & videat, inde etiam arguit cum corporis perfectiones sint & decores dari etiam necesse esse formarum veneres & lepores, ex quibus & actiones honestas vero iusto & bono vndiquaque affluentes scaturire debere.

Alchymia suorum corporum purgatione ostēdit animi mores.

Verissimum autem est Alchymiam naturam docere vniuersam & singularum omnium commonstrare virtutes & energias. Quod centrum naturæ vniuersæ habeat appertum & manifestū; cuicumque autem cētrum notum & certum est, illi etiam certa est & notissima illius centri superficies,& eorum omnium limites,qui à centro ad superficiem vsque tendunt, notissimi & aperti sunt, tota natura, globus est & sphærica moles. Eius centrum materia prima est,& rerum omnium vltima,ex quo omnia educuntur, & in quod ipsamet redeunt, in ipso centro latent omnia, & eius superficie manifesta & aperta fiunt omnia, quia in ipsa superficie fiunt generationes & motus omnes, quibus cuncta oculis subijciūtur; in centro verò redeunt in primum chaos, & ibi quiescunt, donec ab Archæo naturæ iterum pellantur ad superficiem, vbi veste noua induta, prodeunt in conspectum & lucem.

Tota natura sphæra est.

Qui ignorat naturæ centrum,ignorat etiam & eius marginem seu superficiem & productiones, conspicit quidē generationes varias rerumq; diuersos ortus & interitus, brutorū more, cortices & vestes externas contēplatur, nucleum verò &

Qui ignorat centrum naturæ, ignorat omnia quæ fiunt in natura.

medullas rerum non cernit nec aſpicit ſed mutabili corpore & veſte deluſus totam ſui notitiam hiſce tenebroſis & obſcuris rerum cancellis cõtinet & coërcet. At vera ſcientia & completa rei notitia, ſtabilem & firmam ſedem numquam in ſuperficie poſuit, ſed in centro ſtabiliuit; in ipſa enim ſuperficie mors & perpetua rerum mutatio ſtabulatur, in centro vita, & perpetua & immota rerum quies permanet, idcirco nobis competit quietem hanc habere notam, vt motus omnes, qui inde oriuntur, notos habeamus.

Alchymia ſola artium eſt quæ ſuis naturalibus operibus, tanquam vijs & filis Ariadnæis viam commonſtrat vt nos ex hoc labyrinthæo barathro, hoc eſt corpore, extricemus, & ſic de minotauro in rerum omnium centro concluſos, hoc eſt peccati fomite ouantes, triumphemus, & æthereas ſedes verſus noſtras delitiarũ plenas, hoc eſt cœlũ, iter dirigamus: ſed antequam cœlo beemus Ariadnam linquimus hoc eſt induſtriam humanam ſtudium & laborem, & baccho hoc eſt homini curarum ſtudij & laboris vacuo damus deſponſandum: vita enim humana mollis nimis & imbecillis eſt, nullamque redolet virilitatem niſi induſtriam ſtudium & laborem improbum Ariadnæ nomine depictum & figuratum, ſocium habeat & comitem.

Alchymia autem induſtria, ingenij acumine, arte, diligentia, ſumma, ſtudio & labore quàm improbo plena eſt ac redundat, vnde tutiſſimo nobis eſt auxilio, vt ea duce & comite, vias inuias naturæ penetremus & labyrinthæa dedali opera introſpiciamus & reuocare gradum valeamus

leamus superaſque euadere ad auras quibus prudentiores & ſapientiores facti, quæ veræ & ſymeræ prudentiæ ſunt & ſapientiæ cogitamus, & ſic probos animi mores commonſtrat Alchymia. Vt exempli-gratia ſic ex homine ipſo Philoſophatur, & colligit ex interna & penitiſſima illius anatome immortalitatem illius, & futuræ vitæ beatitudinem, ſi virtutis, aut miſeriam perennem, ſi vitij ſequatur leges & normas.

Homo cum factus ſit & conflatus ex eadem & ſimili prorſùs materia & ſubſtantia ex qua nutritur, & vitam ſuam fouet, vt penitùs ſciat quid ſit ipſemet in centro ſuo, neceſſe eſt alimētorum ſuorum indagare naturam & eſſentiam, vt videat & cognoſcat, quid ſint ipſamet alimēta in centro ſuo. Docet autem & oſtendit Alchymia, alimenta omnia hominis in vltimam materiam reducta, ſalis redolere naturam & eſſentiam, Salemque hunc indiuiſibilem re ipſa continere in ſe & coërcere triplicem nomine ſubſtantiam, Mercurium putà, Sulphur & ſalē, quæ tria vnum conſtituunt balſamum naturale, nullo pacto re ipſa differens in centro ſui ipſius, ſed homogenium & ſimile, quamuis in ipſamet interna eius ſubſtantia nomine tantum diſtinctas poſſint connotari ſubſtantias, vt declaratum eſt ſuperius capite 3. & 4. huius Opuſculi.

Alimenta hominis vltimò reducūtur in ſalem.

In ipſomet animalium omnium primo & vltimo balſamo, ſal ſemper prædominium habet, vnde etiam rerum Chymicorum ſagaciores, ſalem duxerunt illud primum ſeu vltimum animalium omnium balſamum manifeſtum, ſi quidem in eo cōnotarunt Salis prædominium, quin imò

In animaliū balſamo ſal ſemper prædominatur.

id ipsum colligerunt ex vrinis animalium, sudoribus, sputis & alijs multis eorundem excrementis; in quibus colligere est maximam salis copiã; natura si quidem non adeò potens est & sui satagens vt quidquid est in alimentis vtile & alibile sibi arroget; linquit enim in reiectaneis excrementis, copiosum quid, quod alimenti sapit naturã, si perfectè digestũ esset, & percoctũ quod salis naturã & essentiã redolet. Vnde est quod excrementa animalium sint nonnullis animantibus vera & vtilissima alimenta, quod ita non foret, si ipsorũ excrementis nihil vitæ esset & alimenti; illud autem quod in ipsis excrementis vitæ & alimenti sapit naturam & essentiam, salis ex se promit indolem, quod nobis argumento est, salem esse primum & vltimum, rerum omnium, & perinde animalium balsamum ex quo fiunt & nutriuntur animalia. Hinc non improbè licet arguere semen & sperma humanum ex quo immediate fit homo, in vtero matris suæ, salis soluti habere naturam; quidquid enim est vltimum in solutione cuiuscumque rei, id ipsum est primum in compositione ciusdem rei, dictante peripatheticorum coryphæo, cui refragari hac in re, sapientis non esset animi: Sal autem esse vltimum in resolutione tum rerum omnium, tum ipsius hominis satis apertè constat, ex operibus Chymicis in quibus dum res omnes calcinantur & in cineres reducuntur, ex ipsis sal educitur rerum omnium perfectum alimentum. Imò sperma & semen ex ipso sale summopere depurato, renascuntur vegetantia cuncta, quæ vltimum hunc salem dederunt, modò terræ

Cur excrementa animalium sunt quibusdam animalibus alimenta.

Semen in vtero matris est sal solutus.

Probatur salem esse vltimum in resolutione omnium rerum.

fertili committatur & vegetantis aquæ stillatitiæ irroritur, vt tandem impregnetur spiritibus aquæ vegetantis ex quo sal eductum est. Hinc fortissimum & grauissimum ducere possumus argumentum, animam humanam debere esse immortalem, cum omnium rerum semina in centro salis maneant incorrupta, quod est habere formam specificam incorruptam corpore salis conclusam; nisi enim ita esset, vegetantia singula non possent iterum resurgere & suscitari ex corpore salis terræ credito vt fieri dictat experientia. Si ergo vegetantia singula habeant formam specificam incorruptam in centro sui ipsius cōclusam, hinc collectu facillimum est, homines possidere debere indiuidualem formam incorruptā Hæc enim forma indiuidualis & singularis singulariter præualet & præstat omnibus formis specificis vegetantium omnium, cum ratione & intellectu vigeat & polleat inter omnes rerum omnium formas, quæ eius penuria formis humanis maximè infimantur, quod nobis est firmissimo argumento, humanas formas non eamdem cum alijs subire sortem, vt ante probatum vidimus, cap. 22.

Argumētum quo probatur animam immortalē esse.

Quòd si quis obijciat ex dictis formas rerum omnium in specie & genere perennes esse & incorruptibiles, cum ex centro salis sui renascitur & ideò ratione formæ specificæ & generis demereri immortalitatem quod tamen absonum est fidei orthodoxæ. Satisfecimus iampridem obiectioni, cum diximus formas rerum omnium specificas & generales perennes esse & permanentes, tantum dum Deus conditor omnium,

Obiectio.

Solutio.

generationes rerum conseruat & fouet, ad perennitatem eatenùs tantum in gratiam hominum vita caduca & labili interdum fruentium. Postquam verò hac pręsenti vita functi erunt omnes, mutabitur & forma rerum, earumque series, mutationes, generationes & alterationes rerum nō erunt in vsu, vt vitæ hominum inseruiant, cum hæc tandem se ipsa diuina sic dictante voluntate fulciet diuinis & supercœlestibus ditata donis. Reliqua cuncta naturalia, quæ illius solius gratia condita erant in pura redibunt elementa sua, & ibi quiescent in æternum in sua simplicitate & puritate reducta.

Anima humana traxit originem à Deo.

Quòd si anima rationalis seu forma humana ex hisdem principijs ortum haberet, in eadem & similia principia etiam reduceretur; constat autē non ducere originem ex naturalibus elementis, cum vis & vigor elementorum naturalium intellectum & rationem quibus viget anima humana, elargiri non possint. Dei hæc sunt munera, non naturæ, vnde diuinitùs animam humanam traxisse originem certò certiùs est, deumque solum animæ humanæ esse verum & vnicum centrum, in quod tendi, & immergi summis viribus conari, est illi summa gloria, & supremum bonum & munus, quia vnicuique rei innatum est & naturale in suum tendere centrum & fontem, ex quo enata est, & ortum habuit. Duo sunt potissimum rerum omnium fontes, vnus naturalis est, supernaturalis & alter: ex primo naturalia cuncta & visibilia duxerunt originem, ex secundo naturalia & supernaturalia cuncta habuerunt exordium, & verè omnium primus non aliundè

Fons rerum omnium duplex naturalis videlicet

quàm à se ipso deductus est fons iste, in quem omnia tandem reducenda sunt tanquam ex illo vnico fonte deducta. Vnde creatus est homo, rerum omnium compendium, & verus & vnicus microcosmus, vt peripsum & in ipso omnia in Deum reducerentur, cum ex ipso incarnati Verbi mysterio, Deus ipse homo factus fuerit, & ita vniuersa quæ ex fonte isto diuino, diuinitùs scaturierunt diuinitùs etiam in eundem fontem immersa sunt. *& supernaturalis.*

Hæc docet Alchymia & ostendit omnia in centrum tendere suum, vt in eò vltimam & supremam habeant perfectionem; impius tamen homo perditus ac nequam, hæc non audit, nec capere vult, solus est ex rebus omnibus, qui cētrum perfectionis suum negligit & spernit; & in eius etiam pœnam & laborem conditi sunt inferi, tanquam carceres horum nequam hominum in quibus pœnas & labores supremos æternum cruciabiles luent quod obliti sint naturalis & innati sui boni, vt malum sequerentur pessimum, quod tamen omnia aspernantur, abhorrent & vt immanem ac perniciosam bestian, pestemque fugiunt.

Sic probos animi mores docet Alchmia persequendos, sic rectam vitæ humanæ rationem instituit, & cordatos efficit, ac sapientes suos alũnos ex cognitione suimet ipsius, & finis ad quem nati sumus & quem attingere debemus, vt tandem diuinitùs cum Deo quiescamus in æternum, & summo bono potiamur, cuius vsus arguit & expostulat, probam & rectam virtutis plenā scelerisque puram vitæ humanæ rationem. Quod si

quidam Chymicorum reperiantur, nequam homines & nebulones quibus tuta frequensque via est per Chymiæ fallere nomen, hæc non sunt artis sed artificum vitia: non caret via regia sicarijs & famosis in cæde versatis hominibus, nec horum vitio & cæde, desinit esse via regia. Suos item habet Alchymia montes & siluas, ex quibus insidias parant pseudochymici ac perditi nebulones quidam, permultis montes hos & syluas peragrantibus, ibi terrarum cautè, & prudentes incedendum est; insulsus enim est, & caret naso, qui nequit eligere, quod sibi vsui est, aut refugere quod detrimento, quæ meram tantum olent naturæ & artis virtutem & robur. Hæc persequenda sunt, reliqua verò cuncta, sordere debent prudenti ac rerum Chymicarum studioso.

Vndenam in natura visibili scaturijt rerum mutabilis ordo, mors & corruptio, ostendit Alchymia.

CAPVT XXIV.

Vnde oriatur mors & corruptio.



ATVRA appertam nobis ostendit corruptionem & mortem, & mutabilem rerum omnium seriem ex extranea quadam in rerum omnium compositione, materia ac substantia, quæ totius compaginis vinculum labefactat ac dissoluit, aut saltem alterabile cor-

ruptibile & mutabile reddit, hæc non solum in corporibus elementorum compagine adunatis visuntur, sed & in rebus quæ supra elemẽtorum horum infernorum serien sunt, & ordinem & supernaturalem & cœlestem sapiunt prolem conspiciuntur.

Cernimus si quidem in narura rationali ac intelligibili, reperiri multa eáque maxima, quæ virtutis indolem & boni prolem non omnino redolent, sed vitij stygmata inusta gestant. Vndenam quæso tam prauum ac malignum naturæ cacohetes exornatum est, cùm creator ac summus rerum omnium opifex sit rerum omnium suprema virtus, ac summum bonum; ita vt tantillũ vitij & mali in eo imaginari non valeamus, nihilominus opera eius & creata cuncta & singula, vitijs malisque scatent ac redundant, non ex creatore & conditore, id contingit, id opinari nefas. Aliunde ergo sortitur hanc natura corruptam sortem ac vitiatam conditionem, quam deponere cum omni studio & industria tentet, non ex innata & primordiali origine & essentia scaturire certum est, sed ex fortuita quadam & casuali macula, quæ à creatore nullo pacto, sed à creatura in naturam introducta est, eique ita inusta & impressa, vt totam & medullitùs subierit & penetrarit substantiam: cum ergo malũ & vitium naturæ insit, ab aliquo naturali artifice & cõditore originem ducere necesse est, & in creatis ipsis quærendus est fons & origo ipsius mali.

Natura cœlestis ex suo sinu & occulto agendi facultate & potentia malorum hydram non produxit, quod hæc innatam & naturalem agendi

poteſtatem immutare nequeat, ſed ſuas penitùs obſeruet actionis inuiolatas periodos, & à ſuo creatore condonatos typos, quos peruertere nõ ei conceſſum eſt, nec datum extra limites creatoris egredi. Non ergo cœlum in naturam malũ introducere potuit cum voluntatem creatoris ſui violare nequit, ex priuatione cognitionis mali vel boni, ex quorum ſeminio pullularunt vitriũ & virtus malum vitij dedit omne genus, bonum virtutis totius campum ampliauit. Nec item natura elementaris vitij potuit exarare & excolere terras, cum nullam habeat ſuæ actionis cognitionem quam ſemper dirigit in voluntatem & mentem creatoris.

Cœlum non fuit cauſa malorũ quæ natura patitur.

Sola ſupereſt natura intellectualis, quæ actionum ſuarum omnium notitiam habet, & quæ libera & ancipiti mentis ſuæ lance, in bonum vel in malum inclinare & propendere poteſt, & ita virtutis vel vitij excolere campos, perquos ſeminia mali diſſeminarunt primi parentes noſtri, dum voluntatem diuinam ſupremam legem violarunt. Ex huius violatæ legis peccato, mors & corruptio & rerum mutabilis ordo, intrauit in orbem terrarum: Suprema illa diuina voluntas, & ſuprema lex, & ſummum bonum, non poterat vllo pacto perfringi, quin ſummi mali portenderet ſupplicium. Ambigere non poſſumus quin Deus creato & condito homini, tanquam fideli ſeruo futuro, nonnulla mandauerit obſeruanda præcepta, ex horum obſequio ſupremum & ſummum pendebat homini bonum, ex eorundem etiam violatione, contrarium pendebat malum; non poterat enim violari mandatum, quin con-

D. Paulus. 1. Tom. 3. cap. 2

dignæ violantem sequerentur pœnæ, nihil homini peccanti durius & acerbius est, morte & corruptione, ideò in pœnam peccati sui, morte & corruptione, affectus est. Non poterat autem mors & corruptio hominem inficere quin & reliqua cuncta, quæ hominis obsequio enata erant, morte simili & corruptione afficerentur, in homine peccante; peccauit & tota natura, & in homine etiam peccati luit pœnas. Malū enim omne quod in natura creata reperitur, & peccato hominis ortum habuit, & in pœnam peccati germinat ac pullulat, donec conditor & supremus rerum artifex malum istud vbique disseminatum auerrumcet, & separet, ac in ignem æternum proijciat. Pura si quidem & candida reditura sunt omnia, vt & creata pura & candida fuerant, purum vt Dei est & boni Deum sequetur & bonū, impurum verò & corruptum vt Diaboli est & mali, Diabolum sequetur & malum, & vt conspurcato homine conspurcata est tota natura, sic decorato purificato & glorificato homine, decorabitur, purificabitur, & gloriam quandam consequetur natura tota. Æquum enim & iustum videtur, naturam à vitijs omnibus & corruptionibus repurgari, postquam homo vitiorum & corruptionis totius fons & origo, repurgatus fuerit, ab omnibus vitijs & corruptionis labe vindicatus & gloriam supremam supernaturaliter adeptus fuerit. Ita natura candida & purissima supernaturaliter facta, vt & creata, nitidissimum erit speculum ac splendens, in quo diuina fulgebit imago, obscuratum & obtenebratum fuit à peccante homine. Glorificato ergo eodem homine,

Mors est in pœnam peccati.

Purum sequitur Deum, impurū vero diabolum.

radiante ac fulgente nitidiùs christallo splendescere necesse est vt creatoris virtutes & energiæ, fulgentiùs ac nitidiùs in eo speculo nobis elucescant & splendeant.

Hæc rationum momenta ac pondera nobis suppeditat Alchymia ex vitijs & corruptis substantijs quæ naturæ insunt, non ex innata sui ipsius proprietate & virtute, sed ex casuali fortuitaque quadam misera sorte, quæ ex peccato humanæ naturæ & intellectualis in vniuersam reliquã naturam introducta est, in pœnam peccati; iustitiæ si quidem est cuiuscumque delicti pœnas exigere & supplicium hinc claret vndenam in natura hac visibili scaturijt & emersit rerũ mutabilis ordo, mors & corruptio.

Ex operibus Chymicis & laboribus colligere possunt Christi asseclæ omnes, quonam pede virtutis via terenda sit, vt supremum prfectionis culmen pertingant.

CAPVT XXV.



Purũ naturæ est symbolum virtutis.

VDI quodam penicillo delineatam nobis ostendunt virtutis viam, naturalia quædam artia Chymicæ opera: Purum enim naturæ, quod est virtutis symbolum, habere non possumus,

quin labore multo ac improbo, circa illum vſum & poſſeſſionem intabeſcamus; imò ipſummet purum nitidum ac candidum & ab omni lutoſo recremento vindicatum, numquam ſe oculis noſtris conſpiciendum prebet, quin generationis, mutationis, alterationis & mortis naturalis tulerit tormenta quæcumque. Quis vidit vnquam ſpicam, grauo tritici tumentem, flauam ac maturam, abſque præuio hyeme, glacie & imbribus dura, abſque vere ventis ac pluuialibus auſtris turgido, & abſque æſtate, igneo æſtu torrida. Quidquid eſt ſuos patitur manes antequam per amplum mittatur Elyſium & læta teneat arua, non dedit vnquam puras Alchymia eſſentias, extracta candida & nitida magiſteria abſque præuio igne, præuia calcinatione, diſtillatione, ſolutione, putrefactione, ſublimatione, coagulatione & fixione; hæc enim ſunt artis præuia inſtrumenta, quibus natura ſupremum perfectionis culmen aſcendit, hiſque ſolis natura ſuis expoliatur recrementis, & purum naturæ, ſi ita loqui mihi fas ſit, multa patitur, ſudat & alget, vt nitorem & ſuæ ſubſtantiæ ſplendorem ab omnibus maculis denudatum & vindicatum nobis oſtendat: hoc Chymicum opus ſi præuia mentis optimæ contemplatione perpendatur nobis eſſe poteſt typo & exemplo, arduam virtutis viam perreptari non poſſe abſque ſummo labore & ſudore maximo. Roſæ ſparſim redolent balſama ſua, at niſi ſpina pungenti colligi poſſunt, armat ſpina roſas, nec decerpi poſſunt, quin ſpicula earum perſentias; nihil denique in toto orbe eſt frugi, quin duro aliquo tegmine

Præuia Chymiæ inſtrumenta quibus vtitur artifex vt habeat purum naturæ.

ac difficili obumbretur, ne omnibus facili via decerpatur, dij laboribus omnia vendunt.

Non ergo mirum Chriſti aſſeclis eſſe videtur, ſi ſupremam mundi gloriam & fœlicitatẽ Deus ipſe, hominibus omnibus ſudoribus ac laboribus ſummis propoſuerit adipiſcendã. Non enim pluris ſunt & maioris pretij homines ipſi, ipſi Deo, quam fuerit ipſi filius ipſe ſuus, ipſum autem oportuit multa pati eáque grauiſſima, & ſic intrare in gloriam ſuam. Statutum ergo & ratum ſit, nihil cœlo beari poſſe, quin vltimos & ſupremos in his inferioribus locis in Chriſto patiatur manes: ita vt videatur Deum hominibus præcepiſſe in perfectione vltima ſua & purificatione conſequenda, naturam quadamtenùs imitari debere. Quod enim natura artis Chymicæ via & induſtria ſequitur, vt vltimum ſuæ perfectionis culmen attingat in purificatione corporum & mixtorum ſuorum; Eccleſia ſponſa Dei, Spiritus ſancti gratia & induſtria, nobis præcipit ſpiritualiter & diuinitùs perſequendum in purificandis & expurgandis animis noſtris.

Septem Chymiæ inſtrumenta reſpõdent ſeptem inſtrumentis diuinis hoc eſt ſacra mẽtis Eccleſiæ.

Septem ſunt apud naturam artis Chimicæ inuenta inſtrumenta quibus vtitur ipſa, natura vt corpora cuncta purificet & candida reddat, ſeptem etiam ſunt inſtrumenta diuina apud Eccleſiam, quæ ob diuinam & ſupercœleſtem agendi facultatem & potentiam Sacramenta verè dicũtur, quibus vtitur Eccleſia, vt electos ſuos Chriſti aſſeclas Chriſtos efficiat, hoc eſt puros ſanctos pios & Dei filios & alumnos.

D. Gregorius

Baptiſma primum Eccleſiæ Sacramentum, quid enim aliud Græco eloquio ſonat quam in aquis

immersio & intinctio, quia ibi homo spiritu gratiæ in melius immutatur & longè aliud quã erat efficitur: primùm enim fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipsa verò immersione seu baptismate reddimur pulchri, dealbatione virtutum, adeò vt baptismatis pura aqua elementaris igne Spiritus sancti imprægnata, principia vitæ nostra intrinsecùs diuinitùs repurget,& purissimam reddat animam nostram virtutis omnis compotem, deique ipsius capacem. Natura pari quodam passu & via, instruit & docet Alchymistas in purificandis & expurgandis rerum omniũ principijs, aqua & igne vtendum esse; calcinatione si quidem & lotione expurgantur cuncta & nitida fiunt.

Baptismus respondet calcinationi & lotioni.

Simili etiam modò dicere possumus Deum in Ecclesia sua instituisse Sacramentum confirmationis, vt eius virtute & energia, mundi & puri facti sacro Baptismatis fonte, firmam, constantem ac permanentem in Deo habeamus fidem, qua fulti & statuminati, Christi militiam aduersus rerum omnium aduersa profiteamur.

Confirmatio respondet fixioni.

Natura item in ipsamet Alchymia instituit fixionem rerum, postquam mundæ & nitidæ factæ sunt, virtute cuius & facultate, res ipsæ puræ & mundæ, crementorum & cineritiorum examina cuncta, facilè tolerant ac potiuntur, & sic munditiem & nitorem testantur.

Apud Ecclesiam Christiani habent sacram Eucharistiam, diuinum sacrum & supercœleste pabulum quo diuinitùs cibo perfusi, vitam spiritualem viuimus æternam & ab omnibus vitiorũ malis vindicamus, veterem deponimus Adamum

Eucharistia respondet lapidi Philosophorum.

& Christi insignibus decoramur quibus cœlum petimus & suprema fœlicitate donamur.

Apud Alchymiam magnum & arabicum est elixio, seu lapis ille Philosophorum medicina illa cœlestis ac pene diuina, qua perfusæ & delibutæ res omnes naturales, longum & perenne durant æuum & fœtorem, marcorem & viria cuncta corporis labantis ac senilis naturæ deponunt, qua cuncta imperfecta perficiuntur, lacera & manca resarciuntur & æternitatem quandam naturam consequuntur.

Pœnitentia respondet calcinationi putrefactioni & solutioni.

Vt Ecclesia pœnitentiam habet, qua peccatorum veniam obtinemus, & eius facultate & virtute amissam recuperamus diuinam gratiam qua perfectionis culmen attingimus, extinctis vitiorum omnium imò exhaustis fomitibus mineris & focis.

Alchymia calcinationes, putrefactiones, & solutiones habet, quibus mixta naturalia ab omnibus fœculentis elementorum maculis & vitijs expurgantur & munda fiunt, & sic si loqui ita mihi fas sit, pœnitentiam agunt, patiuntur ignem & aquam & quæcumque alia artis tormenta, donec pura & munda fiant & tunc vitreo tanquam cœlo, clauduntur vase, in gloriam naturæ & artis. Non absimili methodo, agitat fideles suos Deus, torquet ipsos aqua & igne & varijs diuinæ artis instrumentis donec ipsi placeant, mundi fiant omnino & candidi, tunc non vitro, sed cœlo claudit in gloriam & laudem sui ipsius & Ecclesiæ.

Extrema vnctio respondet

Possidet rursus denuò Ecclesia extremam vnctionem, qua perungimur, veterum Athletarum

& pugillum instar, vt inimicos nostros omnes animas nostras eluctantes eludamus, & vt vltima & suprema illa diuina vnctione, & chrismate sacro, eluantur vitiorum omnium reliquiæ & labes, quæ mundi huius volutabro, animis nostris inustæ sunt & infixæ: vt enim oleum & vis cinerum seu sal dissolutum componunt saponē, candidandis rebus omnibus & expurgandis idoneum. Sic Deus in vltima vitæ nostræ periodo vt sordes nostras eluat omnes diuinum nobis præbet oleum vt cum cineribus humilis & penitentis cordis, saponem sacrum componat eluendis sordibus omnibus aptum. *oleo miro seu saponi sapiētum.*

Est & apud sapientes Chymicos, oleum mirum quo cum cineribus corporis metallici, seu salis perfectissimi vltima morte perempti, fit sapo sapientium, quo cuncta nitescunt & lucent radiosque fundunt miros. Sicut Ecclesia, Sacros & diuinos habet ordines, quibus Christiani ad supremum Ecclesiæ decus, virtutem & potentiā sublimātur, quibus patres, pastores, directores & gubernatores spirituales animarū nostrarū constituuntur, tantáq; virtute & energia dotātur, vt veri sint pubi & fontes quibus in nos omnes defluit gratia Christi & dona supercœlestia descendant Christo ipso operante, & ita volente & postulante. Sic natura varios ac diuersos habet perfectionis ordines, quibus in Alchymia beat, & sublimat Philosophorum nonnullos, ad supremam naturæ cognitionem, cum potestate & facultate perficiendi naturalia cuncta, eaque expurgandi ab omnibus suis recrementis: ita, vt hi Philosophi spiritu Chymico instructi, *Materia & effectus saponis sapientū.*

veri dici possint patres directores & gubernatores rerum naturalium, quarum perfectionum modos, regulas & normas, ex artis Chymicæ fōtibus exhauriunt ac desumunt operante ac ministrante Mercurio mundi, seu calido innato vitæ.

Matrimoniū respondet coniunctioni solis & lunæ quæ fit in lapide Physico.

Si apud Ecclesiam reperiatur sacrum Matrimonium, vt in benedictione Christi & puritate fiat indiuiduorum humanorum multiplicatio, vt ex his eligantur qui cœlum capere debent eiusque supercœlesti gloria exornari. Natura pariter possidet apud Alchymiam matrimonium, quo rubicundus maritus candidam ducit vxorem, ad multiplicationem filiorum solis & lunæ, vt lex vniuersa perfectionis naturalis proclametur in toto naturæ inferioris regno, & cuncta naturalia solis vel lunæ vel alterius rei decore & pulchritudine exornentur, vt fortiùs se tueantur ac deffendant aduersus corrodentis æui dentes & morsus.

Itaque videtur Christum & Spiritum sanctum in constitutione Ecclesiæ suæ, voluisse leges & normas obseruare, quibus naturam regit & custodit. Quidquid enim natura egregiè notat in rerum suarum conseruatione & perfectione; Christus spiritualiter apud Ecclesiam idem obseruari similiter iussit vt Christianos omnes conseruet, custodiat, foueat, & vias semitásque virtutis & perfectionis æternæ & perennis illis ostendat: quod capitulis sequentibus peculiari methodo patefactum fiet, vt Alchymiam commonstremus scientiam esse valde vtilem, & omnibus Christianis fore perdiscendam, cum ea

per

per eius opera & labores virtutis iter & christianæ perfectionis semitas & vias nobis quadamtenùs indigitet.

Aqua & ignis quibus vtitur Alchymia vt mixta naturalia vindicet ab impuris & fæculentis mixtionis spurcitijs, sacri baptismatis in Ecclesia Catholica figuram & symbolum exhibent.

CAPVT XXVI.



AMOR & misericordia Christi in nos omnes, talis & tanti pretij fuit, vt non solum humanitatem assumpserit in eáque mortis vltimos & supremos aculeos persentierit, vt nobis gratiam amissam restitueret, patrique conciliaret; sed & etiam morte ipsa sua & passione, Ecclesiam fundauit & stabiliuit, in qua ipsemet se fontem vitæ fecit septemplici tubo, & canali salientem & scaturientem, vt vitam illam & gratiam quam morte sua & passione adeptus est, foueat, conseruet & multiplicet.

Iesus Christus fons est septemplici canali fluens

Mirum est istud, & prorsùs stupendum amoris sui erga nos specimen; cum enim sciat & videat altissimas egisse radices vitiorum & peccatorum seminia per totum humanum campum,

perennes & perpetuos gratiæ diuinæ fontes in Ecclesia sua constituit, qui vniuersos & singulos humanos campos & hortos irrigare, imò perfundere possunt, vt penitùs tabescant & arescāt vitiorum omnium radices & semina. Prodigiorum omnium mira superans miraculum, quod in Ecclesia Christi singulis æui momentis celebratur & perficitur virtute & energia diuini illius fontis. Si quis qualiscumque sit peccatorum & eatenùs Dei ipsius inimicorum & hostium, biberit ex hoc fonte, modo ex legibus Christi bibat, illicò teguntur & diluuntur omnia illius peccata, & fit amicus, & gratissimus ex sententia seruus. Imò quòd majus est, & miraculi superat leges, viuus mortuus cum sit suscitatur à mortuis, & vitam illam mortuam ratione peccati, omnino linquit, & vitam verè vitalem ratione gratiæ cœlitùs immissæ suscipit.

Impiorum quamplurimi qui hæc diuina mysteria & immensæ diuinæ sapientiæ arcana contemnunt, imò penitus negant, futiles has profundunt nugas in hæc occulta & miranda Ecclesiæ Catholicæ mysteria. Vndenam aqua elementaris verbis quibusdam animata, & ceremonijs quibusdam comitata, energiæ & virtutis tantum habet, vt miracula tanta, & miranda patret; Scythiæ populi, maris caspij, caucasique montis accolæ omnes, qui turcarum latè patens imperium fundauerunt; Ethnici omnes & hæretici omnes, qui hæc Ecclesiæ Romanæ mystica spernunt, eorumque virtutes negant nonne æque immortales sunt & parem imò fœliciorem & fortunatiorem forsan Christianis agunt

vitam: nullum perfectioris vitæ gradum in Christianis potiùs quàm in Ethnicis, & alijs hæreticorum turmis connotamus. Qua rationis ergo lance ac trutina perpendere possumus Christianos solos esse huius orbis accolas, vitæ verè vitalis plenos & perfectionis grano fruentes, reliquos verò mortis & corruptionis tyrannide obnoxios & miseriarum omnium potestate deuinctos.

Expectate parum & sistite gradum ô impij & scelerati de Deo malè merentes, creditis ne Deum eiusque immensam potentiam: si huius fidei impotes estis, procul hinc estote prophani, & capitula prima huiusce operis perlegite, ac perpendite, quæ vos Deum trinum in personis & essentia vnum docebunt, essentiarum omnium & substantiarum veram & solidam basim & fundamentum, vosque ipsos nullam habere essentiam & substantiam; quia habere substantiam, est propriè per se substare, & subsistere, quòd solius creatoris est, non creaturarum: non per se enim hæ substant sed diuinitùs persistunt, vt ortum habent, persistere si quidem sapit ortus fontem. Non vestri originis vobismet ipsis fuistis fontes, neque pariter substandi fomitem esse arbitramini. Quibus rationum momentis si Deum admittis creatorem rerum omnium & hominis, necesse est etiam vt admittas hominem tanti beneficij immemorē in Deum peccantē, & volūtati eius renittentē, tāti peccati luere debere pœnas, & hinc calamitatum omnium & miseriarum esse sentinā; ex qua emergere, non illi fas est, ac possibile, cū condignas peccati pœnas pati non possit,

ac proinde iustitiæ diuinæ satisfacere nequeat. Vnde ab ipso Deo rerum omnium fonte, pro derelicto habetur: hinc mala & calamitates ingentes, imò omnes in ipsum hominem insurgunt. Si tandem hæc mysteria in animum tuum inducis quid tandem fiet ex homine rerum omnium magistro, deique summi vicario, satane hæc miserande perpetua ipsum manebunt, non ad miserias perpetuas ipsum insinuauit, sed potiùs ad beatitudinem sublimauit. Itaque sperare debemus in centro amoris & misericordiæ diuinæ latitare secreta & arcana redemptionis nostræ, quibus pristinam gratiam peccatis nostris & vitijs amissam recuperare valeamus. Quale autem mysterium potentiùs ac diuiniùs reperiri potest, vt ab omnibus peccatorum maculis & sordibus expurgari valeamus Deoque placere queamus, quàm incarnati Verbi mysteriũ mortis eius & passionis tormentum, quo summo iuri diuino satisfactum est, & quo Ecclesiam Christi fundatam habemus supercœlestibus eius donis, ac virtutibus omnibus exornatam, quibus veniã peccatorum omnium nostrorum facili iam via obtinemus, & pristinam omnem vitæ puritatem consequimur.

Septemflua iam nobis adsunt flumina Christi, quibus supercœlestem gratiam cœlitùs in nos dimittitur, scelerati, impij, & nefandi vitijs & peccatis deformes, ibi immergimur, & hinc in viros sanctos probos & pios Deum timentes & amantes, ens dicimus, dilutis omnibus vitiorum sordibus, ac germinante & coruscante virtutis flore, ac germine. Primùm istius supercœ-

lestis gratiæ flumen quo perfunditur & irroratur terrestris hic Ecclesiæ Christianæ paradisus, ex sacro baptismatis fonte profluit, quo proluti homines in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & sacratissimæ crucis sigillo obsignati, ab omnibus peccatorum sordibus expurgantur, gratia exornantur diuina, & exuuijs veteris Adami spoliantur, & nouissimis induuntur Christi vestibus, quibus veri Dei agnoscuntur, & ad nuptias illas diuinas & supercœlestes admittuntur. Mirificum certè est in Ecclesia Christiana miraculum, quod aqua elementaris in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti virtute & energia, mortis & passionis Christi filij Dei, solo suo tactu nos ita diuinitùs proluat, vt deformes vitiorum peccatorumque omnium labes imò laruas discutiat, sed quòd diuino & supernaturali in nos omnes cœlitus descendit effectu, illius non est sapientis causas indagare; imperscrutabiles enim sunt diuinæ virtutes, etsi sint nobis exempla quædam & symbola quæ nobis virtutē hanc occultam & supercœlestem sacri baptismatis graphicè exprimunt & ostendunt, vt fides Christiana hisce naturalibus fulcris firmissimè confirmetur. Non credis ô impie Sacramentorum virtutes, & energias diuinas & supercœlestes, & tamen experientia quotidiana vides & cernis igne & aqua naturali, quascumque elui & discuti maculas; imò vitia innata corporum imperfectorum tum lapidum, tum metallorum, solo ignis & aquæ cemento & examine expurgari, & nitidam & corruscantem inducere substantiam. Et quid dicemus de virtute stupenda & non satis

Supercœlestis gratia ex Baptismo veluti primo fontis tubo in nos descēdit.

Sacramentorum virtutes diuinæ & supercœlestes sunt.

laudata facultate salis illius Physici perfectissime cocti, & pyronomiæ legibus ab omnibus elementorum sordibus vindicati, cuius virtutes & facultates multotiès ego ipse vidi in ægrotis omnibus subitò percurandis, & multi alij mecum viderunt mirandam illius agendi facultatem in metallorum imperfectorum corporibus permutandis.

Historia de lapide Physico.

Anno si quidem 1627. apud Castronouidariũ die 22. Iulij, diuæ Magdalenæ sacro, probata est illius Physici salis virtus, viris fide dignis, præsentibus & astantibus; Reuerendus enim in Christo Pater Anacletus, & Venerabilis Pater Adrianus Ordinis Capucinorum Religiosi deuotissimi aderant Domino de Serignol in curia Presidiali Lauraguensi legato quæstionũ iudice æquissimo, & in rebus gerẽdis fere omnibus occulatissimo astante; imò robur & virtutem igni follibus ministrante, ne daretur vlla doli suspicio in tam rara & illi inaudita & incredibili metamorphosi metallica, in qua semi granum pulueris illius mirãdi salis, semiquadrantis horæ spatio, vnciam integram argenti viui permutauit in purum putum argenti naturali ipso multò præstantiùs & nitidius, quod in cineritro plumbi & examine probatum non solum rutilantius exsurgit, sed mole ipsa & pondere maius, quod virtus illa salis tota & integra non consumpta fuisset in prima argenti viui vncia transmutanda, sed aliquid adhuc superesset virtutis, cuius gratia & auxilio, plumbi dragma integra in argentum purum & putum, in cineritio vltimò & examine abierit.

Si Deus in naturalibus rebus hæc miranda, po-

ſuerit vt res minima, maximam corporis molem illicò ſubeat & penetret, illiuſque ſubſtantiam impuram, fœtidam ac virulentam, in puram, claram, ac vitalem permutet. Quidni fieri poterit, vt Deus mirabilium omnium fons & principiũ, & vitæ veræ ſcaturigo, aſſumpta quadam materiali ſubſtantia, tanquam inſtrumento, quamuis non egeat, ex potentia infinita, ſed ex voluntate ſua, quod ita fieri inſtituerit, potentiora & efficaciora imò mirabiliora efficiat & peragat. Metamorphoſes illas naturales cernimus & credimus, metamorphoſes verò ſupernaturales & occultas quod manifeſtè nobis non fiant in dubium reuocamus. Potentias & facultates rerum creatarum ingentes admittimus, creatoris verò ambigimus, hoc eſt ſapere noctuam cæcum prorſùs eſſe, ex præſentia ſolis, videre in tenebris, & in medio noctis opacæ; in meridie verò rutilante & coruſcante ſole, obcæcatum eſſe penitùs.

Abſque aqua & igne Spagyrici medici nequeunt mixta naturalia expurgare ab omnibus fœculentis recrementis quibus ſcatent & puram putam nobis dare eorum eſſentiam. Ignis ſi quidem eſt ſeparare heterogenium & homogenium congregare. Aquæ verò eſt abluere & diſcutere quod ſeparauit ignis. Magnum naturæ ſecretum cuius figura & ſymbolo, immenſam & infinitam ſacri baptiſmatis virtutem & energiã quãdãtenùs repræſentare poſſumus; in eo enim aqua eſt, qua diluitur & diſcutitur, quod ignis ſacer Spiritus ſancti, diuinitùs ſeparat & auellit ex animis noſtris, qui numquam Chriſtianæ perfectionis culmen ac ſummum faſtigium attingere poſſent

Sine aquâ & igne nulla fit expurgatio mixti.

Ignis & aqua proprietates.

Igne & aqua Chymicus baptiſmum repreſentat.

absque hoc diuino & supernaturali sacri baptismatis fonte, cui soli mundandi & purificandi tanta est virtus, vt eo solo fonte, loti Deo placere queamus.

Quòd si hæc perfectio & mundities Christianorum in hòc sæculo non splendescat, & rutilet, præ ceteris terræ vniuersæ accolis. Ratio in promptu est, quod hæc mundities spiritualis sit inuisibilis & occulta oculis corporeis, hoc in sæculo: in aliò verò micantes diffundere debet sui lucis radios, & gratiæ diuinæ splendorem, quem peccatis & vitiorum fomitibus consopitū, imò sepius extinctum & suffocatum gestat; non est enim terræ & orbis huius inferioris, hos stupendos ferre fructus & gloriæ cœlestis messes. Fimetum est terrarum orbis, in quo putrefieri mortemque pati pium & sanctum decet hominem, vt germinet fructus immortales & perennes, in supercœlesti mundo. Æquum enim & iustum est vbi splendorem gratiæ diuinæ amisit, ibi etiam pœnitentiam tanti delicti agat & pœnitentiæ locum laboris sudorisque sui campum non esse putandum est gloriæ suæ paradisum.

Sic claras & potentes habemus rationes cur in hoc seculo, Christiani non præniteant & præluceant Ethnicis, quod ad externam rerum formam & speciem spectat. Hæc enim forma & species non est nobis speculanda & contemplanda, hæc destrui penitùs & expungi debet & putrefieri in laboribus & sudoribus huiusce mūdi & Christi sanguine hoc est Sacramentis Ecclesiæ suæ ablui & foueri, vt formam æternam & gloriam diuinam pullulantem ac corruscan-

tem oſtendant Chriſtiani. Ethnici verò, quod ſacramẽtis Eccleſiæ non abluti ſint, & veteris Adami non depoſuerint labes, in ſanguine Chriſti, perpetuam ſapient vitij & peccati amurcam ac vappam cuius gratia perpetuas patientur manes, & laruati præduris & corrodentibus vitiorũ ſordibus putreſcent in æternum: Quiſquis enim hominum in Chriſto non morietur, cum eodem non reſurget in gloriam, quod eſt ſummi boni & ſupremæ gloriæ faſtigium, ad quod Chriſtiani omnes totis viribus anhelare debent, vt meritis Chriſti Paradiſum gloriæ & perennis voluptatis & delitij, triumphantes & ouantes ſubintrent, vbi tunc temporis Chriſtianorum pulchritudinẽ, ſplendorem, lucem & decus ſummum, videbunt omnes. Ethnici verò omnes & hæretici morte perpetua morientur, & tenebris mortis obruentur æternis; cum patrem verum & fontem luminis neglexerint, nec eum venerari iuxta legem ſuam voluerint, peribunt omnino cum ſuis, quas ſibi fecerunt leges, nulla expectata vnquam tanti detrimenti & ruinæ tantæ redemptione.

Rerum purarum fixio in Chymicis Symbolum esse potest Sacramenti Confirmationis.

CAPVT XXVII.



ERVM formas fugaces, caducas & fluxas non amat & quærit Deus, vt æternus est perennis & immutabilis, similis eadem deperit & ardet, quæ sibi constant & permanent. Vnde in Ecclesia sua, Sacramentum confirmationis instituit, cuius virtute & auxilio Christi asseclæ omnes, adeò firmis, si velint, confirmantur fidei Christianæ fulcris, vt quæcumque tormenta, mortisque supplicia pati possint, antequam fidem Christi, doctrinam & mandata eius violent ac polluant, mira est & supernaturalis huius Sacramenti virtus. Amor diuinus ita radicitùs in animis nostris implantatur eius Sacramenti irriguo fonte, vt nullis tormentis auelli possit, sed fortiores & profundiores agat radices, & ita altos extendit ramos, vt ex his liceat cœlum conscendere. Pullulat ac germinat in dies magis ac magis amor ille diuinus, cuius diuino igniculo dum corda nostra exustulata gestamus, numquã sat laboris, numquam sat doloris & supplicij perpessum est, vt amoris nostri firmum & constans in Deum ipsum præbere valeamus speci-

Effectus Sãctæ Confirmationis.

men martyrij vltima supplicia exoptamus, vt in his constantiam & firmitatem fidei nostræ & amoris erga Christum testari queamus, & vltimũ & summum Christianæ perfectionis fastigium attingere possimus. Mortem pro Christo testando quærimus imò præcipites imus in eius acutos & lethales aculeos, vt sine morte consequamur vitam, ad quam omni spiritu tendimus & vitam hanc mortalem & caducam, cum æterna & perenni connotare in votis est, maximum solatium est, imò maximo maius, cogitare & contemplari, id nobis accidisse, ad gloriam consequendam æternam. Quod ante passus est Christus, passi sunt Apostoli, passi sunt infiniti fideles & sancti Dei, & passuri sunt adhuc infiniti alij, qui post hac simili passu viam terent Christi, & gloriam intrabunt eiusdem: qui non accipit crucem suam & sequitur Christum, non est Christo dignus, vnde gloria & laus quammaxima est fundere animam suam, imò perdere, propter Deum, in ipso enim inuenimus eam. *Matth. 10.*

Hæc est Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ virtus & diuina potestas, quãprimùm quis Christianorum pius ac deuotus, eorum Sacramentorum nectar degustauerit, numquam obsaturatur, sed inexplebili eorum fame & siti tenetur. Aquæ enim hæ vitæ sunt, ac adeò dulces, vt quo plus sunt potæ plus sitiantur aquæ: his enim prælibatis in medio inimicorũ nostrorum castrametamur, pericula cũcta mũdi eludimus, carnis & voluptatis illecebras lethali ac mortali dulcedine tinctas effugimus, Diaboli Scyllas & Charybdes fœlici ac prospera vitæ nostrę naui euitamus, ac virtutũ

omnium occeanum tutis velis, ac ventis leuiter ſpirantibus nauigamus; hinc cœlum verſus tendimus, deumque petimus, tanquam centrum verum & vnicum, in quod ire ac tendere habēt homines omnes. At abſque Sacramentis Eccleſiæ Romanæ, inuia eſt hæc via, & innauigabile ſalum, quod qui ingrediuntur in immania ac deformia cœte transformantur, quæ tandem ſpicula mortis æternæ præſentient. Qui verò terras accolunt circæis poculis mutantur in porcos & ſues, vt voluptatum volutabris ſaginati, mortis eiuſdem gladium patiãtur. Nihil eſt tutum & ſecurum à morte æterna, præter illud ſolũ, quod eſt Sacramentis Eccleſiæ Romanæ obſignatum. Reliqua verò cuncta, ſola ſunt ieiuna, cruda & immota, quibus infœlix lollium ſteriléſque dominantur auenæ, lappæque tribulique, & ſegnes vndique cardui, cicutæ & vrticæ germinant; quibus ſummus & ſupremus Agricola, tandem ignem dabit, vt repurget terram hanc ſterilem & infœcundam, & cineribus harum inutilium plantarum tãnquam ſtercore & fimo fœcundet. Non eſt ergo ſperandum alienis irriguis fontibus, quàm ex his ſeptem qui ex Eccleſia Romana ſcaturiunt & exiliunt, poſſe dare fructus, cœli & diuini horrei capaces, inutiles ſunt venenati, putidi & mali olentes; reliqui omnes fructus, tanquam in aſperis, infœcũdis lutoſiſque & impuris locis enati, qui in campis Eccleſiæ Romanæ enaſcuntur fructum bis ſolem, bis frigora ſentiunt, eorumque terra preſſo vomere ſulcata manet, & ſic demum ſeges illa votis reſpondet Chriſti Agricolæ, quam ſuis cœleſtibus cimeliar-

chijs recondit in perpetuas æternitates. Reliqua verò cuncta quæ extra hanc Ecclesiæ Romanæ culturam exiliunt & oriuntur, negligit & ſpernit, imò auerruncat & euellit & proijcit igni. Deus enim vt ſolus & vnicus eſt totius vniuerſi conditor, & ſummus opifex; Sic etiam ſolus & vnicus eſt totius vniuerſi agricola & alitor, huius ſolius induſtriæ labori, ſtudio & culturæ, omnia enaſcenda ſubijci debent, eiuſque ſolius ſubire leges & normas agriculturæ ſuæ. Has autem præſcriptas regulas & leges ſolum habemus in Eccleſia ſua, quæ cum ſint crucis, mortis, laboris & ſudoris ſummi obſignatæ ſigilli; Poſſunt ne quicumque ſint hominum inter plantas & arbores diuinas recenſeri, quin Agriculturæ agricolæ vniuerſi ſubeant leges & normas, quin patiantur crucis, mortes, labores & ſudores ſummos: hac enim ſolum itur ad aſtra, & ſimilibus calamitatum procellis vult Christus agitari plantas ſuas & arbores, alioquin putreſcerent & marceſcerent earum fructus.

Quies cauſa putredinis motus verò ſplendoris.

Rerum ſumma quies dat putredinem & vermes, labor & motus ſplendorem & lucem, terra quæ ſola elementorum eſt immota, & alte quieſcens mortis & putredinis nobis præbet fontes & origines. Reliqua verò elementa quæ motu & labore perpetuò fatigantur nitidiùs multò terra ipſa prælucent: & cœlum ipſum lucis & ſplendoris fons & origo diu noctuque motu indefinenti & labore agitatur, & numquam quieſcit. Iam verò qui cœlo ipſi prænitere habent, poſſunt ne quietem ſeu potiùs ſummam ſegnitiem amplecti: labori ſummo & ſudori indulgendum

eſt. Cui cordi ſunt & amori fœlicitates,corporis non ſequendæ ſunt leges & viæ; ipſum enim cũ terreæ ſit originis terreas ambit leges & quietes, & in his putrefieri gaudet, & ex hac putredine quid quæſo ortum habet, muſcæ,papiliones vermes & alia animalcula, putidæ propaginis, quæ numquam putida loca linquere poſſunt, ſed ea circumuolant, ex ſolo hoc vtero emergunt in lucem. Vultures & Aquilæ generoſæ numquam hac prodeunt, ſed in præduris altiſque rupibus & ſyluoſis locis niue & glacie perpetua aut ſummo calore obſeſſis, vbi hominum penuria eſt nidulantur, & charos deponunt pullos. Non abſimili via ac tramite, pios, deuotos ac ſanctos homines videmus & ſpectamus, qui inter homines aquilarum prꝑſtantiam & generoſitatem imitantur, non in lutoſis & ſtagnantibus vrbium & ciuitatum foſſis, nec in plateis & in propatulo ædium magnificarum ſedes ponere ſuos & domos; at potiùs in Syluoſo loco & obſcuris montium mandris ædificari, vbi labor & virtus, vitam eorum integram exercent, vbi Deum ſolum ambiunt, non honores, nec diuitias, neque etiam Deus diuites. Opulentos & magnificos expoſtulat homines, ſed bonos virtute plenos & ſimiles ſui ipſius, vt in principio ipſos creauit. Quod autem ſibi ſimile non reperiet tanquam recrementum reijciet. Quid autem eſſe poteſt in rerum natura, quod Deus tanquam quid inutile ab ſe amouet & abigit, cum ſic reijci, in nihilum reduci fœlicius ſit: eo enim ſubſtare modo, non ſubſiſtere ſed perire eſt, maior & maxima fortunatior & fortunatiſſima ſubſtandi fa-

cultas & virtus, ab ipsa diuina gratia, & fauore dependet: huius diuinæ gratiæ Eclypsim diræ sequuntur & comitantur imprecationes, & infortunia portentorum omnium pessima.

Christi assecla qua ratione & qua tuta vitæ tuæ via æuum tuum traducere potes perfractis Christi mandatis, cum horum violatio gratiæ diuinæ ferat Eclypsim, qua morte vera moriuntur omnia, & supremo tenentur infortunio. Excusationes habebis & causas ineptas quæres, in peccatis. Dices te esse infirmum, & quasi folium quod vento rapitur, vna terreum, & lutosum, quod aquoso luto immersum quàm citissimè dissoluitur, & terram lutumque materiam primam suam petit. O fungus & terræ inutile pondus. O populi phaleras Deus te intus & in cute nouit, sat virium est ad morem discincti viuere nacæ; defficiunt verò vires vt Christiferas viam & virtutis conscendas montem, Christus ideo infirmitatem sed delicatam & labentem fortitudinem tuam agnoscens amore & misericordia erga te ductus, vt confirmet ac solidet caducas & labescentes quorum secundum, nomen & virtutem roboris & firmitatis habet, cuius gratia & virtute Christi asseclas omnes adeò fortes & præpotentes viros esse credimus, vt in eos ne quicquam possit cacodæmonum tota vniuersa & singula phalanx: Christi auis siquidem Sacramentis vt decet Ecclesiæ delibutis, Christus est indiuiduus comes; quid autem in rerum natura fortius & potentius esse potest his, quos fortitudinis totius fons & origo comitatur, cui

ſeruiunt omnia, & natu ſolo tremunt, cum ab ipſo facta ſint omnia, & ab eodem ſubſtent ac perſiſtant.

Nonne faciliùs eſt Deo creaturas ſuas intellectuales & diuinas meritis ſuis & virtutibus exornare, ipſis creaturis poſtulantibus, & ſumma pietate ac deuotione id ipſum exigentibus, quā Chymicis etſi in ſua arte magiſtris, res caducas, fluxas, putidas & corruptioni obnoxias, perennes perpetuas æuumque quàm longiſſimum abſque vlla corruptione durantes efficere: Nonne videmus metalla impura putredini, rubigini & ærugini obnoxia expoſita & addita in aurum & argentum tranſmutari; herbas & plantas & omne fructuum horæuum genus quod in paucis diebus delebile eſt & in tota ſua ſubſtantia corruptibile ſolius ſpiritus vini affuſione & immerſione citra putredinem omnem annos integros perdurare. Quid carne mortua putredini magis obnoxius eſt: Solus tamen ſpiritus vini eā ipſam carnem citra vllam putredinis noxam perenne conſeruat. Ego ipſe corpora in terra cadaueroſa ſolo ſpiritu vini permutato, in multos & quandiu volui annos illæſa conſeruaui, & adhuc habeo catulum quatuor abhinc annis conſeruatū. Si corpora cadaueroſa putredinis expoſita & addicta cauſis, poſſint naturaliter ab ipſis vindicari ſolo ſpiritu vitæ naturali exteriùs affuſo; (ſpiritus enim vini, ſpiritu vitæ naturalis turget & ſcatet vnde etiam prudentiſſimæ aquavitæ dicitur & cognominatur) quid ni credemus animā noſtram peccatis omnibus delibutam & cōſpurcatam ſola Sacramentorum Eccleſiæ Chriſti affu-

Spiritu vini omnia ſeruantur à putredine.

affuſione poſſe tanquam à cauſis corruptionis & putredinis vindicari. Nonne Chriſtus qui Sacramentorum horum author eſt & vnicus fons, fons etiam vitæ æternæ eſt: ſi fontem vitæ naturalis ſolo tactu corpora naturalia cuncta, à putredine conſeruare videamus, quonam mentis inſulſæ conatu cogitare poſſumus Sacramenta Eccleſiæ vero & vnico vitæ fonte, Chriſto Dei filio, animas noſtras non poſſe ac debere conſeruari: Faceſſant hinc omnes Ethnici & hæretici, qui Chriſti fonte nolunt prolui, & ſpiritu eius vitæ nolunt perfundi ſic vulgatas & certas putredinis pertentant vias, nec eas linquere cupiunt ſed in his errare gaudent, nolunt virtutibus & Sacramentis Chriſti confirmari, quia nimis vitijs innixi ſunt. Hac ſola ratione virtutem & energiam confirmationis admittere & approbare deberent, cum ſymbola & figuras in naturalibus contemplentur; cur ergo viuus in Eccleſia Romana icones adorare & venerari negligunt. Qui virtuti & bono ſemper adhærere cupit & ambit, indiſſolubili vinculo hiſdem annecti neceſſe eſt & confirmari, alioquin titubantibus incedit veſtigijs, & vitiorum vbique enatis foſſis vel potiùs præcipitijs ſe præbet addictum.

De Sacramento Eucharistiæ ac eius symbolis & figuris quæ apud Chymicos reperiuntur.

CAPVT XXVIII.

TANTVM est, ac adeò clarum & mirum in Ecclesia Romana, hoc Eucharistiæ diuinæ Sacramentum, vt eius solus Author Christus, qui ipsius Sacramenti basis & fundamentum est, de ipso loqui & fari possit: Angelus & reliquum omne, quod est in natura creata, intelligendi & ratiocinandi compos & capax, vanam & inutilem mentem habet, vt de ipso, vt decet, rectè loqui & scribere possit. Idcircò si multa, imò fere omnia desint hoc in capitulo, quæ eius præstantiam & excellentiam exigunt, & ad infinitam & immensam eius dignitatem referuntur, veniam quæso date, opus hoc omne nimis exiguum est, vt infinitum eius ambitum hostiolæ nihilominus circuitu interclusum & solis vini & panis accidentibus velatum comprehendere queat.

Si incarnati Verbi mysterium mirum valdè est & supra omnes intellectus nostri vires, in quo secunda Trinitatis persona, filius Dei vnigenitus, infinitus & immensus, incomprehensibilis, patri æqualis, quem cœli & totius vniuersæ naturæ creatæ vastissimum & amplissimum spatiū

capere non possunt, indiuiduo humanitatis corpusculo coërcetur & clauditur, vt ex diuina natura & humana, diuersis omnino ac discrepantibus formis exsurgat vnicum completum & omnibus numeris absolutum indiuiduum, & vnica natura Christi duas in se coërcens naturas diuinam & humanam virtute hypostatica (vt theologorum more loquar) coniunctas ne duas in Christo formas hæreticorum quorundam modo constituam; illæ enim naturæ adeò inter se vnitatis nexu copulantur, vt vnica tantum sit in Christo existentia.

In Christo est vnica existentia et si illa cõtineat diuinam & humanam naturam.

Hoc certè est miraculorum omnium mirum, sed mirabilius adhuc est sacræ Eucharistiæ Sacramentum; in ipso enim est illud omne quod in incarnati Verbi mysterio credimus, & adhuc præstantiori quodam nobis videtur esse modo, si in diuinis mysterijs quæ infinita sunt & immensa omnia, magis ac minus nobis apparere contendemus, maius & mirabilius nobis apparet miraculum sacræ Eucharistiæ, quàm incarnati Verbi mysterium: in sacra enim Eucharistia verus Christus sanctificatus & glorificatus in singulis & omnibus sacris hostiolis perfectissimè & absolutè reperitur sub specie tantum panis & vini consumpta & deperdita. Panis & vini substantia & in locum ipsius aduenit Christus verus & realis, tectis & velatis sacri sui corporis accidentibus, velo & tegmine accidentium panis & vini; ita vt in hoc vno Sacramento, plura ac diuersa reperiantur miracula adeò magna & excelsa, vt ni Deus ipse mirabilium omnium pater & Archæus, huius Sacramenti

Eucharistia mirabilior est mysterio incarnationis

In Eucharistia plura reperiuntur miracula.

author eſſet,& ipſummet Sacramentum tanta & ſtupenda cœdere factu facillima, non eſſet poſſibile, ſed cùm nihil Deus agat, quin diuinitatis & miraculi ſapiat magnitudinem & excellentiã fruſtranei & vani ſunt intellectus & mentis noſtræ conatus,vt altitudinem mirabilium Dei capere valeamus: quæ nos ipſi quotidiè facimus & operamur, ne quidem capere & comprehendere poſſumus, & arcana Dei vana quadã mentis conceptione percipere tentamus.

Reſutatur error Caluiniſtarum de Euchariſtia.

Miror valde vanitatem intellectus innouatorum Caluiniſtarum ,qui cum non capiant hoc Dei arcanum & arduum videant illud abſolutè non credunt,& ſic phantaſmati ſuo & vanæ mẽtis ſuæ argumento plus fidei tribuunt,quàm verbis ipſis & argumentis ipſius Chriſti dicentis, Apoſtolis ſuis panis & vini ſpecien oſtendentis, Hoc eſt Corpus meum , Hic eſt Sanguis meus, vanas & inutiles quærunt horum verborum explicationes, quibus contendunt, hæc verba diuina non poſſe eſſe tantæ tranſmutationis capacia, nec potiri poſſe tantum virtutis,vt huius miraculi ſint authores & ſacramenti veræ & certæ conditionis & energiæ. Nihilominus credunt ſimplici verbo diuino, creationem vniuerſalem rerum omnium, & tranſmutationem ſubſtantiæ vini & panis in verum corpus Chriſti ſubolfacere non poſſunt. Si verò arguant eorum nonnulli, Chriſtum potuiſſe hoc quidem ſi voluiſſet, nihilominus cum deceat magis maieſtatem diuinam hoc Sacramentum ſola figura & icone ſubſiſtere, & Chriſtianos debere tantùm fide credere, ſolam eſſe figuram myſterij tanti: verba enim

subſequẽtiaChriſti ad incredulos diſcipulos prolata, hæc teſtari videntur inquiunt illi qui vanã hanc profitentur doctrinam. Verba autẽ Chriſti quibus nituntur hæc ſunt. Verba quæ vobis loquutus ſum, ſunt ſpiritus & vita: O cæcos homines & veræ mentis inopes fidei veſtræ, Sacramenta figurata in Eccleſia veſtra admittere, Eccleſia ergo veſtra figura quædam eſt & idea, cum Sacramenta teneat figurata tantum, & verè idea eſt Caluini mentis & phantaſia; Caluinus ſi quidem hanc ſibi finxit & imaginatus eſt Eccleſiam, non Chriſtus. Verba Chriſti quæ vitam & ſpiritum ſonant non ita interpretari debent, Sacramentum diuinæ Euchariſtiæ figuram eſſe, ſed fidei eſt, & quidem Chriſtianæ, verum eſſe & ſubſtantialem Chriſtum, fides autem illa vita eſt, & ſpiritus fidelium omnium Chriſtianorum; ſine etiam tali fide vitam æternam conſequi non poſſunt. Vnde verba Chriſti vitæ ſunt & ſpiritus plena, quod nobis ſi hæc ita verè & realiter credamus ſpiritum verum & veram vitam impertiantur, & forſan ipſa fuit mens Chriſti hæc verba dicentis. Si enim hoc Sacramentum reale & ſubſtantiale non credamus, vitam eius & fructũ carpere non poſſumus. Fide enim hac ſola carpitur tantus vitæ fructus, qui enim non credit, hoc reale eſſe corpus Chriſti, non recipit corpus Chriſti, qui autem non recipit vt teſtatur ipſemet, non recipit vitæ æternæ brauium; qui non manducauerit Corpus meum & biberit meum Sanguinem non habebit partem mecum, qui autem non habet partem cum corpore Chriſti, non eſt dignus vera vita donari, ſed ab ipſa ſeparari

tanquã mortuus & putredine æterna dignus; nõ datur enim vita, extra Christũ, qui vera vita est.

Cum verò hæretici & Ecclesiæ Romanæ innouatores, non credant realem & substantialem vini & panis in verum corpus Christi transmutationem, non etiam recipiunt verum corpus Christi, qui autem non recipit verum corpus Christi, non potest cum Christo habere partem, qui autem cum Christo non habet partem, cum diabolo habere partem necesse est. Concludant reliqua, hi noui Theologi, si Logicam calleant; nam quod ad me attinet, certissimè scio, quod in fide illorum nulla est fides, nec spes salutis, sed certissimæ mortis æternæ, verum & certum supplicium. Nonne enim certissimum est, Deum antequam mundus hic & orbis ex nihilo per ipsum factus & creatus fuisset, in se ipso esse, & æquè infinitum & immensum esse, vt iam immẽsus & infinitus est creato hoc loco & spatio immenso: locus hic & spatium non continet Deum sed è contra Deus continet locum & spatium vniuersæ naturæ, & adhuc multa maiora & infinita spatia, quæ non possunt imaginari suo infinito ambitu coërcet & continet. Iam verò quia corpus assumpsit & humanam naturam, & factus est Christus, non potest ex phantasia vestra, vt Christus est, in hostiola claudi, & simul & semel suam cœlestem sedem & hostiolas singulas & vniuersas occupare & implere. Hoc dicitis repugnare Christi potentiæ, nonne hæc diuina est immensa & infinita, nonne eadem potentia mundum creauit vniuersum locum & spatium: potest ne corpus & locus, quæ ipsemet ex nihilo

eduxit potentiam suam diminuere, & certis quibusdam terminis naturalibus coërcere.

Creare corpora ex nihilo & substandi potentiam perpetuam illis concedere & tribuere, maior est virtus & potentia, quàm multiplicatio eiusdem corporis in multis & diuersis locis simul & semel; ibi enim non datur creatio quæ summa est Dei potentia, creditis inquam creationem ex nihilo, & multiplicationem hanc credere non vultis. Manca certè & lacera est fides vestra, & nulla est, sed potiùs opinionum naturalium summa & superba pertinacia quæ certissimè summo vobis erit supplicio. Nihilominus supplex luminum omnium patrem rogo, vt vestrum omnium misereatur, & in Ecclesiam suam vos reducat vbi vitã & lumen, quæ vobis omnibus certissimè desunt reperietis; ex me siquidem nihil ferè elicere valetis, muneris & officij mei id non est, per transennam hæc dicta sunt non vt hæreticos doceã, sed vt miracula & stupendas & inenarrabiles sacratissimæ Eucharistiæ virtutes & energias quadamtenus pandere possim, & eius diuini mysterij symbolum & figurã in natura creata, inuestigare queam. Ea si quidem via colligere erit omnibus hominibus, tã Ethnicis quã Christianis hæreticis Ecclesiã Romanam solam & vnicam esse, quę verum Deũ cœli & terrę, & eorum omnium quæ in eis sunt creatorẽ & summum Opificem, colit, veneratur, & illi soli vt decet, seruit & obsequitur; cum symbola & figuras rerum ferè omnium quas credit & habet Ecclesia Romana, in natura reperiri contingat, natura siquidem liber & codex est, cui Deus primas voluntatis suæ

& cultus sui lineas, adumbratas tamen depinxit. Nihil autem in tota natura vt opinor reperiri cõtingit, quod figuram & symbolum sacratissimæ Eucharistiæ magis exhibeat ac repræsentet, quam lapis Physicus quem & alij Elixir Arabicum dixere. Is si quidem lapis componitur ex spiritu mundi quem dicunt Chymici omnes filium vnigenitum naturæ: hic autem filius, simplex est substantia & adeò simplex ac subtilis vt dicatur spiritus, qui descendens ex primo mobili vbi Deus fontem vitæ naturalis posuit in infimum terræ centrum, occupat totum naturæ spatium suo vitali pneumate, & tandem corpus assumit elementare & terrestre, in vtero terræ virginis. Ex quo vtero enatum & eductum hoc nobile corpus & spiritus moritur & seminatur in terra sua, ibique multa patitur, variásque subit mutationes & alterationes, donec tandem exsurgat in vltimum & supremum perfectionis naturalis culmen; dequo si naturalia cuncta quæ consanguineam cum ipso habent naturam bibant & comedant, viuunt diutiùs & longiùs, quàm ferant communes & vulgares naturæ leges, & vltimum consequuntur perfectionis naturalis gradum.

Lapis Physicus Eucharistiam repræsentat.

Spiritus mũdi dicitur filius vnigenitus naturæ.

Iam verò nonne christifera Eucharistia Symbolum quoddam habet cum ipso lapide Physico; nonne componitur ex vnigenito Dei filio qui totam & vniuersam naturam occupat, imò continet, & qui ex sinu patris sui vitæ veræ, veri fontis, descendens, in vterum sacratissimæ Virginis corpus assumpsit humanum & factus est homo Deus, ex quo vtero eductus mortuus tan-

dem est, & infinita passus est tormenta & supplicia, donec tandem ex sepulchro mortis eductus sanctificauit & glorificauit corpus suum, quod vitæ tantæ est & perfectionis, vt eo solo homines omnes vitam veram & vltimam perfectionem consequi queant. Ideò elucet maximè erga nos omnes Christi summus amor & misericordia, quod hanc sacratissimam Eucharistiam nobis in Ecclesia sua reliquerit comedendam, de qua qui non comedent ac bibent non viuent in æternum sed inter veros mortuos & putredini addictos æternæ reputabuntur.

Capitulo decimo huius operis multa alia enarraui, quæ symbolum istud declarant & ostendũt si symbolum aliquod esse queat inter creatorem & rem creatam. Hoc mirum est, sed ita voluit altissimus, vt vbiuis locorum & rerum nobis eluceat infinita sua maiestas & misericordia, quæ nobis viam fecit salutis & vitæ, adeò mirabilem & stupendam, vt nullus hominum nec Angelorũ sua mente & intelligendi potestate, imaginari vnquam potuisset. Solus Deus ab æterno hæc diuina mysteria, erga nos omnes excogitauit, & figuras & symbola multis in locis horum mysteriorum depinxit & figurauit, quæ nullus vnquã percipere potuit, donec ipsemet tandem horum mysteriorum author & vera materia, hæc mysteria adimpleuit, & sic fragilitatem nostram infinita sua virtute & potentia firmiter stabiliuit.

Certum enim est ac nimis certum homines omnes peccatores esse, & vitiorum omnium procliui natura pollui, & ita Deo non posse vllo modo appropinquari, nisi virtute & energia

mortis & passionis Christi, quæ nobis peccatoribus in veniam peccatorũ applicanda est. Non potest autem hæc virtus diuinciri modo & faciliori nobis applicari, quàm per Sacramenta Ecclesiæ Romanæ, & præcipuè per Eucharistiam Christiferam, quæ mortis & passionis Christi vnicum & verum mysterium est, & sacrificium solum & vnicum quo pater cœlestis placatur & peccatorum nostrorum non reminiscitur. O quã maxima est & mirabilis Christianorum Romanorum fœlicitas, qui in hoc solo sacrificio Deo Patri, Filioque, & Spiritui sancto, placere possunt & gratiam diuinam obtinere, qua perfusi, quid sperandum habent quam vitam æternam & cœlestia bona quibus tandem dotari debent vt veri Dei filij & charissimi alumni.

Calcinatio Chymica symbolum esse potest Sacramenti Pœnitentiæ.

CAPVT XXIX.

PHILOSOPHI Spagyrici purum naturæ quæritantes, & dum ipsum sciunt multis & copiosis excrementis permixtum & intricatum, quæ compositionem mixtorum omnium inficiunt & inquinant, excogitarunt artificio Chymico, mixta omnia per ignem calcinanda esse, & in cineres reducenda ex centro, cuius cineris aquæ elemẽtaris ope & auxilio sal educitur

Scopus calcinationis.

purum & nitidum, quod in se coërcet & cõtinet virtutes & proprietates mixti ex quo eductus est, Christiani simili fere via sed spirituali methodo perfectionem & candorem animi dum habere gestiunt & vitia & peccata animi, quæ substantiã eius inficiunt & inquinant auertere & radicitùs extirpare cupiunt, se ipsos proijciunt in sacrum ignem pœnitentiæ, quo spiritualiter reducũtur in cineres humiles principij eorum, ex quibus aquæ lachrymarum suarum ope, & dolore peccati, contritione cordis, educitur purum puri, & pulchrum pulchri, quod habet veras & innatas hominis proprietates & energias; quæ tamen antea mole indigesta peccati sopitæ imò extinctæ & emortuæ erant: nihil aliud hinc homo redolebat, quam fimum & putredinem fœtutinam insignem, venenosam & lethalem. Sed quamprimum ignem pœnitentiæ eiusque calcinationem passus est homo, & fonte lachrymarum suarum lotus est, illicò excutitur quidquid est extraneum & virtutum suarum mors & venenum, & exsurgit & apparet summè nitens ac prælucens. Sal fixum sapientiæ diuinæ, quod Deus homini implantauerat & infuderat sacro baptismatis fõte. Hoc sal seu anima rationalis pura putà sacro hoc pœnitentiæ igne depurata tam bene olet, & fragrantis odoris suauitate totam rem condit; vt ad cœlum vsque & Dei ipsius sedem perueniat eius odor.

Calcinatio est symbolum Sacramenti pœnitentiæ.

Mira & stupenda huius Sacramenti virtus, mira huius ignis energia cuius ope, anima nostra perfectissimè purificatur, absque vllo sui ipsius detrimento, & adeò decoratur & ornatur

vt summo sit Deo ipsi delitio. Ignis hic etiam non est elementaris nec rerum naturalium numero recensetur, sed supernaturalis est & diuinus qui mouet voluntatem & liberum animæ nostræ arbitrium, vt summè doleat & contrito corde ægrè ferat, quod diuina temerarit mandata; cuius rei dolore, & angore, patimur & toleramus leues nonnullos labores, qui tormentorum vices gerunt & crucis humanæ sortem sapiunt, quorum ope & gratia, operante tamen & agente mortis passionisque Christi immenso & infinito merito, veniam peccatorum omnium obtinemus & gratia perfundimur diuina.

Hæc miranda supremæ sapientiæ mysteria aliquatenùs possunt Chymicè explicari, cum mysticè & hyerogliphicè depicta cernantur apud Chymicos in charactere Chymicæ calcinationis, sic ab Ægyptijs characterum & literarum primis inuentoribus depicto & figurato. ♆. Lunam bicornem in sublimi characteris vertice posuere, Crucem verò in infima parte effinxere, qua hyerogliphica figura indicarunt Ægyptij Chymicis omnibus, quod si semicirculum illum imperfectum in circulum absolutum & perfectum reducere velint opus habent cruce infima, hoc est labore improbo, quem pati & tolerare debent Chymici, vt perfectionem Chymicam attingant. Iam verò nonne Christianis hoc idem hyerogliphicum doctrinæ erit & sapientiæ quod si perfectionem Christianam pertingere cupiant, & imperfectum vitæ suæ semicirculum in absolutum & completum circulum perficere tentent, mysterio crucis opus habere, quæ in infi-

Explicatio characteris calcinationis

ma vitæ nostræ parte saltem radicari & affigi debet, vt infinitum vitæ æternæ circulum ingrediamur. Crux si quidem si centro suo superroretur circulum complet & perficit. Sic etiam vt Christi assec læ vitam hanc labilem & caducam semicirculo æquiparandam compleant & perficiant in veram vitam stabilem & æternam ; oportet vt multa ferant, faciantque, sudēt & algeant, quod est ferre crucem suam, & præceptis ex mandatis Christi obsequi dicentis : *Si vis perfectus esse, vende omnia qua habes & da pauperibus, veni, abdica te ipsum, tolle crucem tuam & sequere me.*

Quasi diceret Christus si quis cupiat hanc vitam labilem & fluxam transigere, absque labe & vitiorum macula, nihil ferè est, in hoc vitæ huius carcere possidendum se ipsum tantum possidere oportet, & sibi ipsi dominari, multa pati, & algere, & sudare, mandata obseruare diuina, & summo proximum prosequi amore, Christum tandem sequi & imitari, qui perduelles suos & hostes adeò summo persequutus est amore, vt propter ipsos mortis supplicium ac supremum tormentum passus fuerit, sic & nobis omnibus pariter agendum est: Hoc enim solo charitatis & amoris summi subsellio meritis tamen Christi statuminato cœlum conscendi potest, & perfectionem supremam & vltimam consequi possumus. Charitas & amor mandata diuina obseruāda præcipit, Crux verò, quæ symbolum est pœnitentiæ, vitia & peccata humana tollit, quæ vitam seu animam hominum inficiunt & inquināt eamque sordidam & putidam efficiunt. Cruce verò delentur hæc omnia vitæ nostræ inquina-

menta, ita vt in virtute Crucis nostræ, & Crucis Christi perficiamus semicirculum seu semilunam vitæ nostræ, & in verum & completum circulũ seu solem perducimus nescientem occasum, hoc est, perficimus vitam nostram, quæ certè imperfecta vita est & veluti seminita, eámque conducimus in tantum & elatum vitæ gradum, vt nullos timeat post hac mortis igniculos & aculeos, sed sapiat vitæ æternæ nitorem & odorem.

Crux cernitur in vltima mixtorum materia id est sale.

Qui Chymiam tractant, eiusque labores exercent, dum sali mixtorum omnium vltimæ materiæ incumbunt purificando, & ab omnibus suis quibus scatet excrementis expurgando, cernunt ac vident mysteria sacra Crucis quæ Deus in vltima illa rerum omnium materia posuit & collocauit. Vltima enim illa materia quæ salis naturam sortitur numquam perfectionis culmen & vltimæ suæ purificationis fastigium pertingit, quin coalescat in lapillos quadriformes sigillo Crucis perquamoptimè efficta, insignes.

Crux est perfectionis symbolum in mixtorum depuratione.

Mirum certè est ac stupendum hoc naturæ opus, omnia mixta impura & sordibus elementorum suorum maculata, nullatenùs possunt in vltimam suam & puram reduci substantiam, quin calcinationis Chymicæ patiantur ignes, & tandem ferant Crucem suam, suæ perfectionis symbolum & vltimæ & supremæ depurationis fastigium. Non mirum ergo nobis erit, quod Christus Chymicorum omnium & Philosophorum princeps & coryphæus, qui Chymiam supernaturalem in homines omnes exercere tentat, præcipiat omnibus hominibus perfectionem supre-

mam ſpirantibus, ferre Crucem & ſequi ipſum; Crux ſi quidem niſi nobis omnibus impreſſa reperiatur, ignis iuſtitiæ diuinæ comburet omne reliquum quod non erit Crucis Chriſti ſygillo notatum. Non diſſimili ferè exemplo, quod ex calcinatione Chymica deſumere poſſumus: niſi enim ſal illud mixtorum quod Crucis inſignia præ ſe fert, igni pugnet & reſiſtat, perit ac deſtruitur omnimodè mixtum calcinatione expoſitum aut ſaltem in vitream reducitur materiam vitæ inutilem.

Nonne pariter idem ac multo præſtantiori modo, in die ſupremi & vltimi iudicij continget, dum omnia & ſingula mundi huius ſublunaris calcinationi vniuerſali & ſupernaturali tradentur, ab ipſo rerum omnium ſupremo Opifice. Si ſal fixum noſtrum, quod eſt anima priuetur Cruce & meritis eiuſdem Crucis denudata reperiatur, reducetur ab igne iuſtitiæ diuinæ, in æternum abyſſum vbi nulla erit vitæ veræ ſcintillula, ſed mortis æternæ perenne tormentum.

Feramus ergo Crucem dum vitam hanc caducam & labilem agimus, vt illius merita, virtutes & energias profundiſſimè & altè, animæ noſtræ inſculptas habeamus, vt ſolis Crucis noſtræ, & Chriſti potiſſimum meritis & virtutibus ſupremum illum & vltimum Dei iudicium ferre quodammodo valeamus, ne in abyſſum detrudamur æternum: Ex Cruce ſi quidem hac, labore, dolore, & angore pullulant ac germinant vitæ fructus æternæ, ex delitijs & voluptatibus mundi,

mortis grandeſcit & vireſcit arbor, ex quo fructus calamitatis & miſeriæ immenſæ decerpuntur. Immenſæ & infinitæ ſunt virtutis & efficaciæ, cilicium, ieiunium, corporis attenuatio & animi, vt Chriſti ſequamur vias & virtutis arduum teramus iter. Numquam ſat doloris & laboris perpeſſi ſumus, vt infinitas illas & immenſas cœli dotes tandem poſſideamus, & vt nos à ſupplicijs & tormentis iuſtitiæ diuinæ vindicemus hiſce breuibus & voluntarijs pœnitentiæ pœnis. Teſtis eſt ille Anachoreta inſignis, qui maluit iterum vitam hanc ingredi, eiuſque laceram telam retexere per triginta annos integros, cum labore, cilicio & ieiunio perpetuo, multiſque alijs vitæ religioſæ anguſtijs ſummis & extremis, quàm vnico quadrantis horæ ſpatio, pati ignem purgatorium alterius mundi.

Anima noſtra ſimplicis ſubſtantiæ & perinde impos doloris & paſſionis, ſi quid patiatur vt peccatorum enormes maculas deponat, vi ſupernaturali id patitur, ac diuina virtute. Itaque Deus ſummas pœnas & ſupremos & vltimos doloris ac laboris aculeos depoſuit in eos omnes, qui peccatis ac vitijs gratia ſua denudantur. Contemplare quæſo peccator quænam eſſe poſſit proportio inter cilicium, ieiunium, & leue aliquod tormentum quod nobis ipſis ex arbitrio imponimus, & inter ignem ſummè & ſupernaturaliter agentem, quem in perpetuum æuum tolerandum poſuit Deus his omnibus, qui maledictionem ſuam patiantur æternam. O fœlices igitur terque quaterque beati, qui Crucem ferũt in hoc mundo, vt Cruces & tormenta alterius mundi

mundi effugiant, sunt enim Cruces huius mundi pœnitentiæ fructus & cœlestis quietis & vitæ æternæ tutum ac certum præsagium. Nihil enim est in toto rerum orbe terrarum, quod ad perfectionem & summam quietem tendat, quin Crucis præ se ferat insigne. Quòd elucet potissimùm in characteribus metallorum imperfectorum.

hi characteres plumbum, stamnum, ferrum, cuprum & argentum viuum indicant, & omnes crucem lunæ vel soli iunctam habent. Quòd interpraetari possumus hæc metalla imperfecta & impura, numquam argenti vel auri quorum characteres & figuras depictas ferunt, posse pertingere nitorem ac puritatem, nisi cruce quæ characteris vniuscuiusque occupat partem, hoc est nisi summa & extrema patiantur, vt auri & argenti sublimen conscendant gradum.

In characteribus omniũ metallorum imperfectorũ elucet crucis figura, & quid hoc significet.

Quod si natura hæc terrestris & sublunaris expostulet & ardeat labores, alterationes & mutationes insignes, quæ sunt veluti cruces vt perfectionis quosdam gradus attingat, quid agent homines vt sibi vltimum & supremum perfectionis gradum adipiscantur, vt cœlum petant, deique ipsius compotes fiant. Cruce sola itur ad astra, & suprema illa venantur bona, & clauis est vnica regni cœlestis, ideóque cum pœnitentiæ sacræ sit potissimum & præcipuum insigne, pœnitentes etiam sub ipsa & in ipsa habent totius Christianæ militiæ summa stipendia,

Non ergo iam ambigemus quin quod desumimus ex Chymicis laborib⁹ & industrijs nos possis

aliquatenùs deducere, ad fontes aquæ viuæ, & ad pœnitentiæ sacræ fructus viuos & immortales, qui calcinatione Chymica mysticè & figuratè, hoc in capitulo apperti ac edocti fuere.

Olea Chymica possunt esse Symbolum Sacratissimi Chrismatis.

CAPVT XXX.



IN vltimis vitæ huius periodis, ac limitibus solet Ecclesia Romana suos fideles milites, sano chrismate perungere, vt acertimè & fortiter luctari queant cum suis inimicis, eorumque omnium dolos eludere valeant; in vltima enim vitæ huius catastrophe debent Christi asseclæ omnes, quidquid est illis boni, probi, puri & pij, nouum & recentem Adamum sapiẽtis ostendere. Est enim tunc temporis supremum & vltimum vitæ huius militantis certamen, ex quo victoriam egregiam laudem & spolia ampla relaturi & brauium vitæ æternæ cõsecuturi sunt. Itaque indigent armis, quibus protegi possint aduersus hostium tela, illita dolis, & multo saturata veneno, quæ effugere non possumus; nisi diuina gratia perfusi simus; diuina autem gratia perfundit nos diuinum hoc chrismatis Sacramẽtum virtute & energia passionis & mortis Christi, quæ cum infinita sit & immensa, nullos

agendi terminos ac limites habet, ſed vbicumq; infinitè & immenſè operatur, diſpoſitio tantùm ſubjecti nobis relinquitur componenda. Vnde in agone mortis antequam hæc vltima arma ſuſcipiamus & ſacro chriſmate perungamur, præparati ac diſpoſiti eſſe debemus, & Sacramentis alijs Eccleſiæ Romanæ abluti, vt gratiam illam diuinam cœlitùs in nos ipſos deſcendentem adipiſci valeamus applicatione Sacramentorum, quæ mortis & paſſionis Chriſti ſunt virtutes & proprietates ſupernaturales. Non enim blaterandum eſt & inſaniendum in Sacramenta Eccleſiæ Romanæ. Vidi enim ego multotiès ſtupendas ſacri chriſmatis virtutes, quæ ab Apoſtolo enarrantur. Si quis veſtrum infirmetur, inducat præſbiteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini & oratio fidei ſaluabit infirmum & alleuabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei. Quod ſi ſacrum hoc chriſma erga corpus & vitam hanc labilem & caducam ſupernaturales habeat vires; quidni etiam fatendum erit eaſdem habere ſupernaturales virtutes, ad animam noſtram ab omni vitiorum macula vindicandam, & ad cœli ſedes puram putam defferendam. Vidi ergo purum putum oleum Chymicum & multi alij mecum etiam viderunt in quod ferrum, cuprum, vel argentum ignitum & candens intinctum & immerſum, ſola illa & vnica immerſione, in verum & naturale aurum tranſmutabatur, crementa cineritia, & examina cuncta ferens, abſque vllo ſuæ ſubſtantiæ detrimento, nec coloris ſui rutilantis vlla obſcuritate & nebula. Reſeruatur

Iacob. cap. 5.

Hiſtoria authoris.

adhuc in famoso illo Ducis Florentiæ Cuneliarchio clauus satis magnus qui in simile oleum intinctus prius excandefactus, quidquid claui illius oleum tetigit factum est aurum obrizum. Viderunt etiam quamplurimi Chymicorum fide certissima digni olea alia Spagyricè præparata, quibus arborum & plantarum radices aspersæ & irroratæ, hyberno etiam tempore & glacie & frigore dominante, virescebant extra tempus illæ arbores & frondescebant germinabant & emortuæ ferè in viridantibus & viris expullulabant surculis & ramis; viderunt etiam quamplurimi intimi amici mei oleum Spagyrica methodo præparatum cuius guttula vnica, ex vino propinata emortuos ferè, & penè extinctos ad vltimũ vitæ spiritum exhalantes ægros suscitabat, & sanos omni ex parte efficiebat, & ab omni morbo vindicabat.

Si hæc miracula stupenda in rebus naturalibus cernere ac contemplari liceat; Ambigere ne possumus sacrum chrisma supernaturales habere virtutes in persanandis tum animis tum corporibus, si id non contingat in singulis ægrotis, id non est ex defectu sacri chrismatis, sed ex defectu ægrotantis, qui modicæ vel potius nullius fidei est. Oratio enim fidei saluabit infirmũ inquit Apostolus, si fides deficiat, non operatur in nos virtus Sacramenti : fides si quidem & animam & corpus disponit ad suscipiendas Sacramentorum virtutes & energias reales & efficaces. Vt enim olea naturalia, quæ vim & facultatem alterandi habent, si in extranea proijciantur corpora, nihil operantur. Si oleum Chy-

micum mutans metallum quodcumque impurum, in aurum proijciatur super lapidem aut lignum aut quoduis aliud metallicæ substantiæ alienum, mirum illud mutationis opus non videbimus quod lapis & lignum & reliqua similia, non sint disposita ac præparata, ad suscipiendam huius actionis vim & virtutem. Non dissimili fere ratione fide certissima credendum est, quod si non videamus in omnibus ægrotantibus sacri chrismatis virtutes visibiles ac sensibiles, ratio in promptu est, quodqui tali sacro vnguntur oleo nomen tantum Christianorum, non res & opera profiteantur; vel si profiteantur ac vere pij deuotique Christiani sint ac fide & operibus Christianis condecorati reperiantur, tutius est illis & beatius in illo perfectionis gradu mori, quàm vitæ telam adhuc cum periculo retexere, & in hoc procelloso vitæ pelago, nassellam laborum omnium innatantem conseruare, ex qua exire tentare debent nonnulli Christianorum non ad fugam, sed ad spem melioris mortis, vt in plurimis id contingere fas est contemplari.

Non ergo pijs ac deuotis animis absonum videbitur symbolum chrismatis quod in præsenti capitulo attulimus, desumptum ac decerptum ex oleo Chymico, quod melioris notæ Alchymistæ oleum vitæ dicunt. Si enim adhuc quis medullitùs, ac ex penitissimis huius olei Chymici antris contempletur eius compositionem, mirabiliorem adhuc videbit ac introspiciet eius sympathiam ac discordiam, si mihi fas ita loqui sit, resque diuinas naturalibus aliquatenùs æquiparandas exhibere; id enim non est vt

S. Chrisma representatur oleo Chymico

gloriam & laudem rerum diuinarum & essentiam, æqualem & conformen cum naturalibus efficiam, sed vt ex vmbris rerum naturalium visibilibus & palpabilibus inuisibilia Dei arcana contemplari queam & mysteria rerum diuinarum supra naturam omnem extollere possim.

Compositio itaque huiusce olei Chymici tantæ virtutis & efficaciæ graphicè depicta nullis in locis reperitur, sunt tamen multi qui eam ænigmaticè & tropicè descripserunt eamque asseruerunt esse ex humido primigenio metallico cui auri natura & essentia indissolubili vinculo est annexa. Humidum primigenium metallicum materia est auri vera essentia, forma ac virtus illa cœlestis ac insignis quæ hæc mirabilia operatur: humidum si quidem primigenium metallicum est basis & fundamentum vitæ naturalis, aurum autem est pixis seu capsula, quæ vniuersas virtutes cœlestes ac naturales quæ vitam naturalem impertire & ferre possunt secum continet ac coërcet; id autem omne hoc est humidũ illud naturæ primigenium & auri essentiæ spiritu vitæ vniuersali clauditur, fouetur & conseruatur, & ex his tribus ex surgit mirum istud vitæ naturalis oleum.

Compositio olei Chymici

Videamus iam an sympathiam quandam & concordiam inuenire valeamus, huiusce Chymici olei, cum sacro chrysmate. Sacrum chrysma ex oleo communi componitur, quod vitæ naturalis balsamum est, & fomes satis admodum aptus & idoneus. Materia hæc est sacri chrismatis, essentia verò & forma illius est Christus, qui vniuersas & singulas supercœlestes virtutes &

diuinas, vitæ æternæ fomites, imò ſcaturigines ſecum continet & amplectitur; & vt aurum eſt vitæ naturalis fons & ſcaturigo, maiori ac meliori iure, Chriſtus eſt vitæ ſupernaturalis vehiculum & vera & tutiſſima vita, hæc omnia ambit & obumbrat. Ita vt etiam trinam ſacri chriſmatis compoſitionem admirari valeamus, quæ oleo communi velut materia, Chriſto velut forma, & Spiritu ſancto, velut nexu & ligamine indiſſolubili connectitur. Sic ſacra illa ſupremæ ſapientię myſteria diuinitus Chriſti meritis & gratia in nos ipſos delapſa, & in Eccleſia Romana ſcaturientia, naturalium rerum ſimulachris & vmbratilibus imaginibus repræſentare non erit Chriſtianæ fidei abſonum & incongruum.

Alchymiſtæ in natura poſſunt Presbyteros in Eccleſia repræſentare, & ſcientiæ Chymicæ gradus, ordines ſacros exhibere.

CAPVT XXXI.



POSTQVAM Deus Oeconomica ferè methodo Eccleſiam ſuam vniuerſam rite diſpoſuerit & tutam ac ſecuram ab omnibus hoſtium telis, ac incurſibus fecerit, Sacramentorum ſuorum propugnaculis, Sacramenta iam peculiaria & ordines ſacros inſtituit, quibus hominum nonnullos

ſacrat, ac in terris legatos ſuos conſtituit, patres ac paſtores ouium ſuarum de quibus tandem rationem illi reddituri ſunt, in futuro ſæculo. Vt autem munus hoc elatum & altum & inſigne admodum diuina ac ſupernaturali potentia exercere queant, tradidit illis claues cœleſtes, & Sacramentorum omnium adminiſtrationē curam & operam cum tanta ac ſupernaturali poteſtate, vt quidquid ligauerint ſuper terram, idipſum ligatum erit & in cœlis, & quidquid diſſoluerint ſuper terram, id ipſum etiam diſſolutum erit & in cœlis: Hæc eſt illa ſuper cœleſtis ſacerdotibus data poteſtas, quę Angelorum omniũ & Archangelorum, & cœleſtium omnium virtutum ſuperat ac vincit poteſtatem & facultatem. Vnde legibus diuinis cautum eſt, ac cœlitùs mandatum Chriſtianis omnibus preſbyteros, ac rerum ſupernaturalium ſacros myſtas venerari, ac veluti patres veros ac legitimos colere. Parentes ſi quidem noſtri vitam hanc labilem ac caducam nobis quidem impertiunt & adhuc peccato originali infectam & emortuam. Sacerdotes autē eam ipſam vitam infectam mundant, ac emortuam ſuſcitant, vitali Sacramētorum pneumate ac nectare; ac quoties peccandi, lethali cacoëthe morimur, toties Sacramentorum ope, miniſtrante ſacerdote, ſurgimur à mortuis & vitam nouam ac recentem adminiſtrant Eccleſiæ ſacræ ſacerdotes. Et ita patres noſtri meliori titulo haberi quam ipſimet veri parentes noſtri, qui nihil niſi vitam caducam ac fluxam peccatis obnoxiam nobis communicant; hi vero vitam ſpiritualem æternam ac permanentem nobis infundunt.

Cur ſacerdotes dicantur patres.

Ob rem quam ſpiritualibus donis & ſupercœleſtibus muneribus ac pretijs exornatos eſſe ac decoratos decet Eccleſiæ patres; non enim illos ſolum decet eſſe omni doctrina & ſcientia eruditos, munerisque & officij tanti apprimè ſcientes & capaces, ſed potiſſimum oportet illos eſſe pios, deuotos ac ſanctitate & vitæ integritate. Angelos ipſos antecellere, aut ſaltem æquare, vt omnibus Chriſtianis ſint vitæ Chriſtianæ prototypo & exemplo; ab ipſis enim nobis emendicanda eſt totius vitæ Chriſtianæ integritas, vt Chriſti veris ſequacibus & aſſeclis. Sed ô nefas & inenarrabile crimen! vbi triticum ſeminatum eſt, & vitæ frumentum, neſcio quo peiori fato infœlix lolium expullulat & ſteriles dominantur auenæ. At hæc extranea vitia, quæ deforis ſunt & ex alienigenis exportantur locis, non hic inſerenda ſunt, ſed leui in arena Chriſti methodo inſculpenda, vt virtutis leui ſufflamine deleantur: virtutum tum moralium, tum ſupercœleſtium ſeminia ſunt ſacræ Eccleſiæ patres, nihil ideò mirum ſi virtutis & pietatis periuratus hoſtis vitiorum putridas aquas inſpergat, hoc in ſeminario, vt virtutis & pietatis germen in ipſo ortu, ſi fieri poſſit, extinguat. Sed non his credendum malis, ſed cõtra audentiùs eundẽ eſt. virtutis iter arduũ eſt, & perinde confragoſũ eſſe oportet. Non datur roſa abſq; ſpinis, & aculeatis vndiquaq; lancinantibus. Si quid eſt in hoc paradiſo, quod virtutis & pietatis nõ redoleat germẽ, hortulario id linquendum eſt, vt auerruncet ſi velit. Nam quæ mala fortè iudicamus, eadẽ bona ac optima eſſe poſſũt. Hilari tantũ fronte, accipiamus & extẽſis

brachijs expectemus, quæ nobis cœlitùs præparauit Deus, ministrantibus Ecclesiæ Romanæ sacris mystis, quorum symbolum & figuras hoc in capitulo, ex natura ipsa expiscari in votis est, vt rerum naturalium & supernaturalium harmoniam quandam & consensum diuinitùs infusum in hoc terrarum infimo choro audire valeamus.

Quid ergo in natura ipsa reperiri potest quod sacros Ecclesiæ patres repræsentare queat? nihil in tota hac rerum serie aptius est & conformius, vt cœlestem hanc & supernaturalem sacerdotú vim & facultatem nobis quadamtenùs exhibeat, quam Chymicæ artis facultas & potentia; hæc enim vt à natura ipsa rerum magistra inuenta est, ac data, ad res omnes depurandas, viuificandas, & emortuas suscitandas, sic non absono rationis conceptu & argumento, dicere possumus & in propatulo confiteri, sacerdotum omnium potentiam & energiam à Deo ipso rerum omnium summo magistro, datam esse, & ortum trahere, qua sacerdotes nos viuificant, sanctificant, & emortuos verè suscitant.

Alchymistæ repræsentant Sacerdotes.

Sicut Alchymistæ totam naturam innouant, nouam faciunt ac recentem veterem eius corticem deponunt, & nucleum eius intimum suscipiunt ac vsui reponunt; sic sacræ Ecclesiæ Romanæ patres, totam & vniuersam fidelium societatem & multitudinem innouant nouam faciunt ac recentem, veterem Adamum tanquam rugosam & vermiculatam corticem subducunt, ac animam puram ac piam vitæ æternæ germen custodiunt & vsibus christianis reponunt. Mixta

corrupta, infecta ac putida, in puros putos incorruptibiles, & perquamoptimè ac suauissimè fragrantes sales, æternitatem æui redolentes, conuertunt Alchymistæ, igne natura operante: Homines peccato infectos, corruptos, malè olẽtes, ac omni spurcitia scatentes & fimo, in pios sanctos, deuotos, beatos, ac omni virtute exornatos, & diuini ac supercœlestis odoris fragrantia balsama sapientes ac rorantes, commutant sacerdotes. Plumbum mutant Alchymistæ in aurum purum vel argentum, lapides communes & tophos, in christallos & lapides rutilantes ac prætiosos; fugant tandem mortem Alchymistæ & corruptionem ex omnibus singulis naturæ mixtis, quæ operibus eorum subijcientur afflante spiritu vitæ naturali vitamque ipsam naturalẽ adeò perfectam & completam efficiunt, vt eam ipsam quasi renascentem, & de nouo virescentem omnibus contemplandam præbeant; tabescit vero & marcescit, & in vltimum tandem cahos abit, si in ipsam vitæ substantiam non irradiet Chymicum opus ac studium. Sacri Ecclesiæ Romanæ Antistites quidni pariter, sed diuino & supercœlesti penitùs modo, homines peccato corruptos & plumbo impuriores & stibio, & alga viliores in pios ac puros commutant, non auro solum sed Angelis ipsis nitidiores & præstantiores diuino afflante ac spirante spiritu, qui Sacramentis Ecclesiæ inuisibiliter & supernaturaliter permixtus, peccatorum corda, ita excalefacit & adurit, vt nihil nisi vitæ æternæ spiritũ, qui Deum sapit & Christum relinquit; sic peccatores ac diuina & supernaturali Alchymia fiũt

Dei Amaſij & veræ delitiæ ſuæ, mortem præterea ſacerdotes in vitam commutant, inferos in paradiſum, diabolos & dæmones tenebrarum & mortis, in Angelos & dæmones, lucis & vitæ. Totum denique innouant hominem, vitam hominum ſpiritualem adeò perficiunt & complent, vt nihil mancum ac lacerum in ea reperiri contingat, ſed quidquid eſt ſupremum perfectionis culmen attingit: niſi ipſi operentur perpetuò, & in nos agant, corruimus ſubitò & ad inferos præcipites imus, quod eſt quid multo peius, quàm in nihilum reduci,ex quo ortum duximus. Nihil tandem dici poteſt & enarrari, circa Chymiam faciendam in perficiendis & expurgandis rerum ſublunarium mixtis, quin id ipſum ſpirituali modo, & ſupernaturali via in perficiendis & exornandis animis noſtris, circa ſacros Eccleſiæ Romanæ myſtas ſcribere valeamus; vt ſymbolum & figuram cum rerum naturalium myſtis non abſonam & incõgruam exhibeamus, Sacróſque ordines quibus Chriſtiani in diuinum illud & ſupercœleſte ſacerdotij munus euehuntur, eſſe characteres diuinos ac ſpirituales, quibus poteſtatem & facultatem hanc admirabilem & penitùs diuinam à Chriſto vero deſcendẽtem accipiunt; quorum ſacrorum ordinum virtutes & energiæ poſſunt figuratè & myſticè æquiparari tum ſcientia & arte naturalis Chymiæ, in qua cum & ſeptem reperiuntur operationes, variæ ac diuerſæ, quibus Alchymiſtæ varias rerum naturalium pertentant mutationes & perfectiones. Non abſonum etiam erit inter ſacros hos ordines, & ſeptem has Chymicæ artis operandi

formulas, vt quidquid Deus in Ecclesia cœlitùs ác diuinitùs implantauerit, id ipsum in natura crassa Minerua depictum ac delineatum mysticè contemplemur.

Coniunctio humidi cum sicco apud Chymicos symbolum esse potest, Sacramenti Matrimonij quod in Ecclesia Romana reperitur.

CAPVT XXXII.

SACERDOTES & Præsbiteri cum à Christo Iesu diuinitùs sint Sacramentis Ecclesiæ peculiaribus seu, sacris ordinibus præmuniti, vt in tanto & elato munere, peculiariter benedicantur, iustum & æquum pariter indicauit Christus, ac Ecclesiæ suæ valde congruum & consonum, vt reliquum populi sui qui Ecclesiæ mysterijs initiari non poterat, sed generis humani multiplicationi & generationi incumbere debebat, præmuniri etiam oportere, Sacramẽto peculiari, quo benediceretur & sanctificaretur in multiplicatione sua. Ex illa si quidem multiplicatione cœlum exornandum est, & sedes Angelorum adimplendæ, si reliquum naturæ germinantis in gratiam hominis gratias cœlestes recuperaturi per passionem & mortem Christi, benedictionem receperit, congruum & cõsonum valde erat misericordiæ diuinę & amori, hominẽ

etiam fructificantem & multiplicantem benedicere & sanctificare, vt cum sacris Ecclesiæ patribus loqui mihi fas sit. Ob quam rem Sacramentum matrimonij instituit Christus in Ecclesia, quod modo lege diuina & Christi voluntate sanciatur, gratiam confert, omnibus qui iugo maritali subijciuntur & hisce diuinis nexibus copulantur, vt prolem generent cœlo beandam, & Christi mandatis & præceptis obsequendam; quidquid enim gratiam diuinam confert, beatum ac sanctum est. Nullo pacto autem ambigere debemus, quin sacrum matrimonium legibus Ecclesiæ ac normis celebratam gratiam cõferat, ac sanctimoniam. Christi enim opus est & inuentum, quidquid ex hoc exilit fonte, Deum sapit & cœlum, virtutem & gratiam: qui ergo secundum has leges & sacra Ecclesiæ Romanæ statuta hos indissolubiles sacri matrimonij subeunt nexus fœlices admodum ac beati, duram hanc ac asperam æui vitam transigere possunt. Perfunduntur si quidem modo viuunt ex statutis ac decretis sacri matrimonij legibus, gratia diuina ac benedictione, qua nihil in vita hac dura ac mortali durum est, ásperum ac insuaue, sed futuræ vitæ leues præparati labores quibus vitá hanc caducam & fluxam, in æternam & perennem commutamus. Qui ex hoc laudato oriuntur matrimonio, sunt veri & filij Dei & sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ patris, ex quibus oleum exprimitur lucis & gloriæ domus paternæ, imò totius prouinciæ & regni, in quo enascuntur. Cuius sacri matrimonij laudes & encomia persequi velle, non est eloquentis hu-

Dignitas matrimonij.

manæ si quidem superat vires eloquentiæ, quæ Dei sunt Deo solo competunt. Symbola tantum & figuras, quæ in ipsa natura posuit Deus contemplandas exhibere in votis est, vt huius Sacramenti rudem quandam imaginem & iconem reperiamus, in qua notabimus vmbras quasdam quæ excellentiam & supercœlestem matrimonij energiam & efficaciam commonstrabunt.

Quia autem figuras & symbola desumpsimus omnia ex Chymico fonte iam etiam vt concludamus opus nostram vltimum symbolum, sed præclarum, ex eodem fonte hauriemus, vt vna cum his symbolis & figuris mirandis ac stupendis, quidquid est Chymici operis, Spagyricæ artis alumnis explicetur.

Mirum ergo sacri matrimonij symbolũ, quod ex Chymicis arcanis desumere possumus, est ipsamet coniunctio sulphuris rubei & albi quam Chymicorum prudentissimi dicunt, viri rubicundi & vxoris candidæ matrimonium, solis & lunæ coniunctionem, fratris & sororis nexum, humidi & sicci, & contrariorum vinculum & compaginem, & trium primordialium principiorum firmam & iunior labilem societatem vnitatis vinculo adunatam. Hæc autem tria principia, ex metallica radice perfecta educi solent spagyrica methodo, & in salem rubeum & in salem album conuertuntur, eiusque naturas & formas sortiuntur, & artificio Chymico, per solutionem, putrefactionem, sublimationem aliásque omnes Chymicas operationes summum puritatis gradum consequuntur; & ita hi sales puri & candidi facti simul adunantur & coniungun-

Matrimoniũ represẽtatur per coniunctionem sulphuris rubei & albi Chymicorum.

tur, ſecundum naturæ pondus & ſuo ſpiritu & aqua irrorantur, donec perfectè iungantur, & hiſce mirabilibus amplexibus, exſurgat & oriatur infans & filius Philoſophorum, ſolis & lunæ partus, gloria mundi, & naturæ huius infimæ, ſolatium pauperum, ægrotantium tuta & ſecura medella, decus medicorum & totius naturæ humanæ miſeriæ corporeæ tutiſſimum aſyllum. Partus autem huiuſce inſignis & celeberrimi fœtus, numquam poſſet vi naturæ in lucem prodire, niſi auxiliatrices Chymicæ artis adhiberentur manus, & parentes vtrique ab omnibus terreſtris & elementaris fæcis maculis putidis prius repurgentur, antequam hoc naturæ ſactum ineant matrimonium. Quòd ſi expurgatio & purificatio vitiorum naturalium conducat, imò omnino has neceſſitatis leges expoſcat ac ardeat vt hoc naturæ mirum enaſcatur, quod ſimplicis entis naturam imitatur. Maioris multò neceſſitatis erit & ponderis, viri & vxoris repurgatio, vt ſacrum & ſanctum lege diuina contractum matrimonium celebretur, cuius matrimonij author & inuentor eſt ipſemet Deus, ad producendos & generandos non terræ filios, ſed cœli & paradiſi cœleſtis hoſpites, non Philoſophorum, ſed Dei ipſius veros alumnos, qui toti mundo, & naturæ vniuerſæ maiori multo ſunt vtilitati & commodo, quàm eſſe poſſint enata illa Chymica opera, quæ tantum diſtant ab excellentia & præſtantia filiorum hominum, quantum differunt ipſimet homines, ab ipſis metallis, quæ horum operum Chymicorum patres & ſcaturigines habentur.

Nihilo-

Nihilominus si hæc opera Chymica producere velimus, & partus hos Spagyricos in lucem proferre cupiamus, summa opus est diligentia & vigilantia, in præparandis & expurgandis eorum parentibus; ita vt eorum primam materiam ac radicem primordialẽ inuenire oporteat, eamque miris modis depurandum censemus, antequam matrimonium hoc Chymicum celebrare valeamus, & ex eo oriatur sal illud miræ virtutis, quod arabicum elixir dicitur, ab omnibus Spagyricæ artis magistris, quod ortum habet à sulphure rubeo metallico, & sulphure albo item metallico, & humore ipsis innato & naturali. Ex quibus solis matrimonium hoc spagyricum ineundum esse credimus, vnde passim dicitur iunge fratrem cum sorore & propina illis poculum amoris. Frater & soror sunt sulphura illa metallica, quæ cum ex vna radice metallica educantur & calidi & sicci, frigidi & humidi sortiantur naturam, masculini generis & fœminini nomine indigitantur fratrisque & sororis cognomine apud Chymicos tanquam faciliori & intelligibiliori rerum cortite indicantur. Ex copulatione illa consanguinea sed legitima & naturali nullis prohibita legibus producitur infans ille Philosophorum in vasis Chymicis perfectissimè obturatis& ne lac parentum quo nutritur foras exeat,& in auras abeat, id omne coquitur leuissimo igne per annum integrum, aut saltem per nouem mẽses, & aspirante diuino fauore, exsurgit arabicum illud elixir summoperè à Philosophis omnibus expectatum, quod est suprema & vltima rerum omnium naturalium infimarum virtus &

energia, qua miranda ac ſtupenda patrantur in rebus ſublunaribus; quibuſdam nauci hominum incredibilia & impoſſibilia, quod acumine mentis ſuæ valde obtuſo, non poſſint ad hæc naturæ ſacraria admitti; quod ipſi non capiunt, impoſſibile credunt, quaſi totius naturæ poſſibilis virtus & agendi facultas, eorum cerebro putido & fungoſo coërceretur. Quidquid latrent canes iſti aduerſus lunam Chymicam, & cucubent noctuæ aduerſus ſolem Chymicum, radios fundere ſuos vbicumque terrarum non deſinent; quibus illuſtrati Philoſophorum quamplurimi, non ſolum ſuis donis ac bonis fruentur, ſed & hanc mirabilem operationem contemplantes & ſpeculantes, vitæ Chriſtianæ puritatem & integritatem obſeruabunt. Ex ſola enim & vnica materiæ huius ſpagyricæ puritate & integritate, exſurgit hoc mirum naturæ ſpectaculum; fæces ſiquidem & maculæ, recrementa ſordida quantulacumque ſint, etſi in minima forent quantitate, hoc extinguerent ac perderent naturæ opus.

Quid ergo ſanctius Chriſtianis Philoſophis erit obſeruandum quàm vitæ eorum integritas; ex illa ſi quidem non lapis Philoſophorum exſurget, & elixir arabicum germinabit, ſed vitæ æternæ verum & certiſſimum elixir, lapis Dei, quo omnes Chriſtiani mutantur non in aurum & in lapides pretioſos, ſed in quid, quod ſupra Angelos eſt, & quod mentis humanæ ſuperat, ac vincit conceptus omnes. Hanc vitæ integritatẽ omni ſtudio, etiam ſupra vires humanas, inuocato ſæpe ſæpius diuino pneumate, perquirendã, & conſequendam cenſemus & prædicamus. Ex

ea enim sola exsurgit, verum Christianum elixir, quo nihil est humano generi in toto orbe vtilius efficacius ac præstantius, & toto cœlo distat à perfectione & nobilitate lapidis Physici, eumque superat multis & verè infinitis perfectionis parasangis; hic enim tantum metalla impura, depurat & coquit; & ad vltimum perfectionis gradum conducit, & res alias omnes impuras, infimas & sublunares, ad supremum puritatis fastigium euehit & extollit. Hoc vero Christianum elixir, de quo est sermo, & cuius opus in vitæ Christianæ integritate & sinceritate consistit, peccatores permutat & Dei ipsius perduelles, in pios & sanctos viros Dei ipsius Amasios & quasi in Deos ipsos. Et hæc transmutatio vtilior multò est, & maioris momenti ac ponderis Deo ipsi & toti naturæ, transmutatione illa metallica, quæ nullis ferè est vsibus, aut si quibusdam sit, momentanei sunt ponderis & futilis vtilitatis: transmutatio verò hominum peccatorũ & nauci, in homines frugi & summæ pietatis, tanti est momenti ac ponderis, in ipsa lance diuina, vt vnius solius hominis perditio, totius naturæ insensibilis præponderet iacturæ & damno. Id satis appertè colligimus, ex prætio, pondere & valore, quo nos æstimauit rerum omnium creator ac summus Opifex, cui soli competit scire pretium euiuscumque rei creatæ, qui filium suum vnigenitum immensi prætij & infiniti, laboribus infinitis & tormentis & morti crudelissimæ dedit & consecrauit, vt homines saluos faceret viámque salutis & cœli illis patefaceret, si nullius apud Deum momenti fuissemus, tanto prætio

quanto fuimus redempti non fuissemus. Nullius tamen momenti sumus, nisi illius quod diuinæ est voluntatis.

Ob quam rem summa cura & omni studio, saluti nostræ incumbendum est, cum summo prætio eoque infinito redempti fuerimus, & à periculo naufragij certissimi vindicati; Deus si quidem nobis in præsentiarum vias adeò appertas fecit ac semitas omnes salutis nostræ, vt cuicumque hominum iter salutis sit admodum tritum, Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ ministerio, quæ gratiam conferunt diuinam & cum ipsa, virtutes omnes & perfectiones, quibus itur ad astra & ad Deum, quod est summum bonum, ad quod vnicum omnes & singuli homines consequendum viribus omnibus inniti habent. Et si quid est aliud in hoc terrarum orbe, quod boni speciem & imaginem referat, alterius gratia est expectandum, & à solo Deo expetēdum, vt ab ipso rerum omnium largitore precibus sū-mis extorquere queant. Quod dictum volo in gratiam Chymicorum, qui lapidem Physicum rerum sublunarium supremum bonum habere & possidere tentant, absque vllis precibus ad Deum collatis qui tanti secreti & arcani custos habetur.

Hoc opus ad hunc solum & vnicum finem & scopum conscripsi vt Chymicos omnes ab immensis ne dicam stultis ac vanis impēsis ac sumptibus eripiam, hoc vnico amico scripto, quo notum ac certum facio omnibus, qui labores hos plusquam Herculeos, tentare flagrant dijs genitos esse debere, hoc est, Dei Amasios pios ac de-

uotos, qui pia mente ac deuota Deo obsequi & seruire debent inuiolatis ipsius mandatis; deinde in gloriam & laudem ipsius, hoc opus celebre & insigne aggressus sum, ex legibus naturæ & artis, quæ multis in locis præscriptæ sunt ab ipsis artis spagyricæ coryphæis & magistris. Ea via ac semita nullo pacto est ambigendum quin tãdem perueniãt ad paradisum illum terrestrem in quo poma illa aurea decerpent, si eos fata vocant aliter non viribus vllis vincere, nec duro poterunt auellere ferro. Diues enim hic ramus haberi nõ potest, nisi aspirante diuino pneumate, ac fauente Deo, qui tantum diuitiarum communicat & elargitur, non vt voluptati seruiamus, nec vt vestibus & auro geminisque cæteris omnibus præniteamus, & de inimicis triumphemus, non vt eo abutamur, sed vt eo vtamur secundum leges & normas diuinæ charitatis. Non enim extensa manu porrigit Deus totius naturæ sublunaris thesauros, & vitæ huius blandimenta, ad perditionem eorum quos morte sua & prætio sanguinis sui ab ipso perditionis barathro & abysso redemit.

Conclusio totius operis in qua datur ratio, cur author diuina mysteria, Chymicis secretis & arcanis mysticè comparauerit.

CAPVT VLTIMVM.



VAMPLVRIMI forsan piorum hominum mirabuntur, quod sacris & diuinis Ecclesiæ Romanæ, mysterijs, profana opera Chymica cõparauerim, quæ nulla rerum similitudine cum his sacris mysterijs conueniunt, sed toto cœlo distant; horum enim author est Christus & materia ipsa, illorum verò operum authores sunt homines, & sæpe sæpius prophani & Ethnici, materia vero vilis & terrea, quæ nullo pacto, Christo appropinquari potest; ita vt hæc inter se comparare velle, Christianum non sapiat animum sed potius modicæ fidei virum. Mysteria si quidem Romanæ Ecclesiæ adoranda sunt potius & summa pietatis fide veneranda quàm hisce vanis hominum inuentis æquiparanda; rerum enim minuit maiestatem ac pondus, qui eam vilibus ac vulgaribus immiscet ac coniungit rebus. Respondemus hæc quidẽ mysteria Ecclesiæ Romanæ valdè ardua esse, ac penitùs supernaturalia, & ideo incomprehensibilia, adoranda ac veneranda, maiori adhuc veneratione & cultu quàm concludat obiectio. Nihilominùs

Obiectio.

Solutio.

tamen addictus sum opinioni meæ & sententiæ me nullo pacto dissentire ab ipso rerũ sacrarum ornatu, veneratione & cultu, dum hæc Deum operibus Chymicis & arcanis, quodammodo posse comparari ostendimus. Christus si quidem ipse mihi primus indicauit viam hanc & semitã. Nam sæpissimè se racemum esse dixit, se vineã, se leonem, se agnum immaculatum, se lapidem fecit; & qualis quæso est similitudo inter Christum ac rerum naturalium exempla, cum tamen symbolum aliquod, & adumbrata figura quædã reperiatur inter hæc & Christum, ipsemet asserit & prædicat, se imitari quodammodo hasce res naturales.

Itaque ex hoc Christiano exemplo alacriter & intrepidè dicere possim symbola & figuras, quas attuli in præsenti hoc opere, nullo modo excellentiam, præstantiam, momentum ac pondus diuinorum mysteriorum diminuere posse; multò minùs eorum cultum & venerationem violare. Imò contra hæc attuli, vt profunditatem horum mysteriorum, & altitudinem supernaturalẽ, cultum ac venerationem, impijs & sceleratis hominibus, nouis istis inuentis patefacerem. Si noua hęc inuentio ad diuinum cultum & amorem penitus sublimata, mihi in crimen veniat, virtutis crimina non metuo, imò exposco; sunt enim rosæ inter spinas & aculeos balsama redolentes, nullos tamen credo fore, qui tam absurda vnquã hæc putent, vt dignitati Christianæ & virtuti hęc derogare credant. Nam antiquitùs templis ipsis & delubris, ænigmata Chymica solebant depingi, vt adhuc cernere licet in Augustissimo illo

Ænigma Chymicum in ædib. D. Saturnini apud Tolosates.

apud Tolosates Diui Saturnini Templo, in cuius valuis depictum est & affixum hoc Chymicũ ænigma, marmoreo lapide insculptum, quo mystico & intricato suo sensu, possum interpretari ea omnia quæ hoc in volumine dicta sunt.

Ænigmatis pia interpretatio.

Hoc autem ænigma tale est, depingitur Centaurus siue Sagittarius arcitenens sagittamque vibrans, aduersus monstrum fœmineo vultu, aquilino corpore, pedibus & cauda draconis. Sagittarius hic nobis exhibet figuram & imaginẽ Ecclesiæ virtutis; vt enim Sagittarius ex duabus componitur naturis, intelligibili & brutali; Sacramenta etiam Ecclesiæ duas habent naturas, visibilem vnam, brutali in Sagittario indicatam, & inuisibilem alteram, internam diuinam ac supernaturalem, intelligibili natura ac spirituali in Sagittario commonstratam Arcus autem, voluntatem Christianorum repræsentare potest, qua feruntur & intenduntur ad amorem diuinum, & peccati odiũ. Sagitta verò gratia diuina est, quæ voluntati nostræ tanquam arcui superuenit, vt monstrum & horrendam bestiam peccati debellemus, cuius figuram & imaginem habemus, in opposito monstro, vultu fœmineo, corpore aquilino, pedibus & cauda draconis. Nihil aptius peccati imaginem & figuram exhibere potest: peccatum si quidem in principio ortus sui humanum est dulce ac benignum; adeò vt videatur humanum esse peccare, cum & vitam ingredi humanam absque peccato, licitum nobis non sit. Peccati ergo caput & principium humanum est, si autem eo in principio diu multumque permaneamus, caput istud non iungetur membris

humanis & capiti correſpondentibus, ſed brutis omnino ac deformibus; finis verò & cauda, mors erit æterna pedibus & cauda indicata draconis, qui cũ terreſtre ſit animal venenoſum ac lethali ſucco plenum, mortis certiſſimæ & æternæ eſt index. Terra enim conſtans eſt & firmiſſimũ elementum, ſic & draco terrigenus conſtans, firmũ, ac certum venenum habens, indicat conſtantem, firmã ac certã peccatorũ omniũ mortẽ æternam.

Hoc inſculptum eſt diuino illo & Auguſtiſſimo Diui Saturnini apud Toloſates Templo, vbi diu noctuque manet, cœleſtis diuinus ac ſupernaturalis Sagitarius Chriſtus, duplici natura, vnitate hypoſtatica coniuncta & vnita, ſagittas lætiferas vibrans aduerſus peccata noſtra, quæ monſtri naturam veram habent, prima fronte, benigna & humana ſe exhibent; ſed cenſim nos in bruta permutant & adhuc in aquilas rapaces, quæ pernicitate volatus ad omnia execranda ſcelera patrãda nos euehunt & extollũt, vt hinc deferamur præcipites ad inferos, & mortis æternæ ſupplicia ac tormenta, quæ dracone deuorante figurantur. *Altera ænigmatis interpretatio.*

Hoc ænigma ſic interpretari poteſt Chriſtiano conceptu; ſed cum Chymicum ſit & Spagyricũ, Spagyricè etiam interpretari licet, vt ſympathiã & concordiam mirabilem harum diuerſarum interpretationem contemplemur, & quanta poſſint arcana tum diuina, tum naturalia, vnica rerũ cortice contineri. Sagittarius Chymicè repręſentat aquam Mercurialem, ſed partem volatilẽ lapidis Phyſici, in qua aqua ſunt duæ naturæ viſibiles vt & in Sagittario natura putà ſulphuræa ignea, quę natura humana in Sagittario figuratur *Ænigmatis Chymicà interpretatio.*

tanquam actione & vigore potentior; vt enim natura humana præstat cæteris, & actionum præstantia cæteras vincit naturas, sic & ignea natura, cæteras superat rerum naturas & essentias agẽdi facultate & potentia. Inest præterea aquæ Mercuriali Mercurius Philosophorũ, qui natura equina figuratur; equus enim est animal animalium omnium pernicitate cursus sui velocissimum; sic & Mercurius Philosophorum res omnes alias superat agendi & penetrãdi velocitate. Et sicut equus soli consecratur cœlesti, sic etiam aqua Mercurialis soli terrestri sacra est. Arcus & sagitta repræsentant actiones aquæ Mercurialis, venenosæ & lethiferæ, vt morti dent & putrefactioni substãtiam metallicam, seu chaos Chymicum monstro superius declarato indicatum, quod cõtinet tres naturas (quæ essentiam suam integrã constituãt) Sulphur putà Mercurium & sal, vel naturalem, animalem, vegetabilem & mineralem. Natura animalis in qua ignis est apparens calore suo indicatur humano illo vultu, natura vegetabilis aut Mercurialis indicatur corpore aquilæ. Vnde etiã apud Chymicos aquila dicitur, cum aëreæ sit substãtiæ, in aëre etiam latitat maxima copia spiritus vitæ. Vnde ex his omnibus, quæ aëream sortiũtur naturam, Mercurius Philosophorum seu pars humida aquæ Mercurialis indigitatur. Natura verò mineralis seu sal Philosophorum indicatur dracone illo venoso & lethifero, qui vltimã monstri partem occupat; vt enim draco intimæ penetralia terræ occupat, ibique nutritur & crescit; sic & natura mineralis seu sal illud Philosophorum intima penetralia terræ verè occupat, ibiq; nutritur

& crescit, & vt draco deuorat omnia & se ipsum renouat, sic occultatur secretum istud artis Chymicæ. Chaos Chymicum seu natura metallica, meretur destrui, putrefieri & morti dari sagittis venenatis ac lethiferis aquæ Mercurialis, & id omne in aquilam conuerti meretur, & tandem desinere in draconem, hoc est desinere in rem terream fixam & permanentem seu sal fixum Philosophorum, quod omnia in se conuertit ac permutat vt fertur, tabula illa smaragdina, hæc est fortitudo totius fortitudinis, fortitudo fortis, si versa fuerit in terram. Quod nobis mysticè repræsentare potest Christum & Ecclesiam suam, (quæ est fidelium omnium multitudo) vnum tãtum diuinæ Ecclesiæ constituere debere, corpus perfectũ permanens & constans, nullis tempestatum procellis titubans ac vacillans cuius fortitudine & robore vincuntur ac superantur omnia, quod versib⁹ marmoreo lapide insculptis, in valuis ipsius templi satis admodũ clarè expressũ est,

Iuncta simul faciunt vnum duo corpora corpus
Sic est in toto fortius orbe nihil.

Hæc versuum & ænigmatis interpretatio, fortasse omnibus non arridebit, nihilominus hanc in publicum edere, non erubesco, expectans meliorẽ, & subtiliorem ab aliquo œdipo, qui adhuc fortasse, non prodijt in lucem vt nobis meliora dare possit. Hæc inserenda & ita interpretanda iudicaui, in calce huius opusculi quia valdè cõgruũt, vt opus integrum & quidquid in eo depictũ est secreti & arcani Chymici, supernaturalis & diuini mysterij cortices & vmbras continentis, apertiùs fiat, & declaretur, & vt verum lapidem Christia-


num inuestigemus, qui Christus est, quo solo, possumus perfectionis vltimum culmen pertingere,& qui solus nos omnes,in Christos seu vnctos fideles & pios permutare potest. Non secus ac lapis ille physicus & elixir arabicum metalla impura omnia permutat in aurum& ad supremũ perfectionis culmen euehit. Sic autem à Christo redẽptori nostro permutati, fœlicitatem tandem consequimur æternam, & perennibus collustrati & condecorati donis,laudem & gloriã psallemus æternam Deo nostro, cui omnia insunt & in quo tandem omnia resoluentur, vt tandem manifestum est omnibus, qui hanc vltimam adipiscentur beatitudinem.



PROTESTATIO AVTHORIS.

MOmentum & pondus maximum mysteriorum diuinorum, quæ hoc in opere chartis exarata sunt expostulat, vt libẽter omnibus profitear,me fortasse ex imbecillitate ingenij mei,& doctrinæ meæ infirmitate,quamuis sacræ Theologiæ mysterijs initiatus in Academia Tolosana fuerim, in scopulos quosdam impegisse, qui fidem orthodoxam Ecclesiæ Romanæ infringere possent. Id testor non ex animo fuisse, nec ex mente, sed si quid est erroris & quod orthodoxã non sapiat eiusdem Ecclesiæ fidem,id lituris doctorum eius omnino submitto, & vt fidelis seruus & orthodoxus Christianus, opus hoc & mea omnia pijs & sacris eiusdem Ecclesiæ voluntatibus. Do, Dico, & Dedico.

FINIS.



INDEX CAPITVLORVM QVÆ IN HOC ALCHYMISTÆ CHRISTIANI opere, continentur.